# DE
# ANTHOLOGIAE PALATINAE
## EPIGRAMMATIS SEPULCRALIBUS.

---

**DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA**

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM MARBURGENSIUM
ORDINIS AUCTORITATE ET CONSENSU AD SUMMOS
IN PHILOSOPHIA HONORES RITE IMPETRANDOS

UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS

**DIE V. M. NOVEMBRIS A. MDCCCLXXXIV**

HORA DUODECIMA

PUBLICE DEFENDET

**ADOLF MENK.**

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

LUDOVICUS BAUMANN,
PHILIPPUS SCHAEFER,
ERNESTUS THIEME.

---

MARBURGI.
TYPIS FRIDERICI TYPOGRAPHI ACADEMICI.

IULIO CAESARI.

LEOPOLDO SCHMIDTIO.

Philologiae atque historiae est monumenta temporum praeteritorum componere et illustrare. Ac summa cum diligentia omnia fere poëmata Graecorum a viris doctis tractata sunt. Sed nescio an plus studii advertendum sit epigrammatis, quae Anthologia Palatina continentur. [De historia Anthologiae graecae et litteratura v. L. Schmidt Pauly's Real-Encyclop. ed. II vol. 1 s. Anthologia]. Namque haec epigrammata, omnibus fere temporibus Graeciae antiquae orta atque ad omnes vitae condiciones pertinentia, a Cephala ita collecta sunt, ut in singulis capitibus, coloris praecipue, ut ita dicam, ratione habita, antiquissima saepe cum recentissimis, ea, quorum auctores ignoti sunt, cum notis commixta habeamus. Si autem soluto Florilegio epigrammata singulorum capitum secundum tempora denuo composuerimus, singulare monumentum gentis graecae et florentis et intereuntis habebimus. In ea re cum ad hoc tempus magna sit obscuritas et virorum doctorum dissensio, non frustra me tempus et studium consumpturum esse speravi, primum rationem componendae Anthologiae graecae ac maxime capitis VII illustrantem, deinde epigrammata sepulcralia usque ad Philippi Thessalonicensis aetatem, haud exiguam partem Anthologiae, quantum fieri posset, certis auctoribus vel temporibus tribuentem.

# I.

Heckerus in »commentat. crit. de Anthol. graeca« I p. 1 Anthologiam graecam in duas partes distribuendam esse dicit, syllogen inscriptionum et epigrammatum florilegium, i. e. vera epigrammata et quae inscripta non fuerint. Sed in hac rerum condicione illa plane discernere nullo modo possumus, cum eas tantum inscriptiones fuisse constet, de quibus certa testimonia monumentorum vel artis vel historiae habemus. Haec epigrammata per me licet in unum corpus colligantur aut cum »epigrammatis graecis ex lapidibus conlectis ed. Kaibel Berol. 1878« coniungantur, sed, cum Anthologia graeca ad artem poëticam totamque vitam, ut hoc verbo utar, Graecorum intellegendam maximam vim habeat, paene nullam ad artem fingendi illustrandam, id videndum est viris doctis, ut in singulis Cephalae capitibus, secundum tempora et genera epigrammatum compositis, singulis auctoribus secundum aetatem comparatis, quantum fieri possit, epigrammata sua secundem argumenta et lemmata conscripta tribuant. Quibus si vel ea, quae ex libris et monumentis collata certis auctoribus aut temporibus ascribi possunt, adjuncta erunt*), fiet codex aureus, quem evolventes singulaque singulorum auctorum vel temporum epigrammata comparantes nos et qui nos sequentur, qualis olim fuerit Graecia, cognoscemus.

---

*) Epigrammata, quae ut Jacobsii app. epp. 12—14 Archelai neque sepulcralibus neque dedicatoriis neque alii generi eppigrammatum tribui possunt, inter demonstrativa ponantur, quorum genus latissime patet atque ea epigrammata conplectitur, quae nos dicamus »kleinere epigrammartige gedichte«.

Neque ad hunc finem assequendum omni auxilio caremus. Habemus enim Meleagri Gadareni et Philippi Thessalonicensis prooemia, atque Jacobsii catalogus poëtarum, Duebneri editio Paris. a. 1864, Bergkii poët. lyr. graec. ed. III, quaestiones Passowii opusc. acad. p. 176—197 et Weigandii novi Mus. Rhen. tom. III p. 161—178. 541—572 valde nos iuvant. Et Passowius quidem, elementaris ordinis, qui fuit in Meleagri et Philippi coronis, in Anthologia Palatina non parva vestigia inveniri, quae sequentes cum multos poëtas ad Meleagrum et praecipue Philippum revocare, tum nonnullos alioquin ignotos certis temporibus ascribere possemus demonstravit, id quod Weigandius diligentius persecutus est. Sed nonnulla tamen viros doctos fugerunt, quae non parvi momenti sunt. Itaque ante omnia singulae Anthologiae partes diligentius tractandae sunt atque id videndum est, ut, qua ratione Cephalas singulos libros comparaverit plane perspiciatur. Atque hanc quidem rationem in Anthologiae libro VII accuratius, quam antea factum est, indagemus.

## 1. De compositione capitis VII.

### 1—363 epp. undique collata.

1—7 in Homerum, 8—10 in Orpheum, 11—13 in Erinnam, 14—17 in Sappho (15—18 o. el. cor. Phil.), 18. 19 in Alcmanem, 20—22 in Sophoclem, 23—33 in Anacreontem, 34. 35 in Pindarum, 36. 37 in Sophoclem, 38 in Aristophanem, 39. 40 in Aeschylum, 41. 42 in Callimachum, 43—51 in Euripidem (47—50 o. el. cor. Phil.), 52—55 in Hesiodum.

56—59 in Democritum, 60—62 in Platonem (o. el. cor. Mel.) 63—68 in Diogenem Cynicum (o. el. cor. Mel.*).

69—71 in Archilochum, 72 in Epicurum et Themistoclem, 73. 74 in Themistoclem, 75 in Stesichorum, 76 in Philocritum, interlapsum, ut 77 in ignotum Simonidis servatorem, 78 in

*) v. p. 35 de Leonidae Tar. ep. 67.

Eratosthenem, 79 in Heraclitum, 80 in Heraclitum, poëtam Halicarnassensem, 81 in septem sapientes, 82 in Epicharmum )76—79. 80—83 o. el. cor. Mel.), 83—85 in Thaletem, 86. 87 in Solonem, 88 in Chilonem, 89 in Pittacum, 90. 91 in Biantem, 92 in Anacharsidem, qui a nonnullis sapientibus adnumeratur, 93 in Pherecydem, 94. 95 in Anaxagoram, 96 in Socratem, 97. 98 in Xenophontem, 99 in Dionem, 100 amatorium Platonis, 101 in Speusippum, 102 in Xenocratem, 103 in Polemonem et Cratetem, 104 in Arcesilaum . . . 135 in philosophos plerumque Diogenis Laërtii. o. el.*)

136—152 in viros fortes bello Troiano spectatos 138—140 Phil. (cf. p. 49 s. Acerato).

153—162 in varios, quorum maximam tamen partem nomina nota sunt

163—169 in mulieres, excepto ep. 169, puerperio mortuas

170—180 in homines obscuros 173—176 Phil

181—188 in virgines ante nuptias mortuas 183—186 —

189—216 in animalia 189—191—193 Mel.
194—203. 207—210. 213—215 —

217—223 in meretrices (Weigandius l. l. p. 163 per errorem 224) 221—223 Phil.

224 in Callicratiam, quae centum et quinque annos nata undetriginta liberos reliquit

225 in Laërtem

226—241 in viros fortes et nobiles praeter 228 et 230 in ignavum Lacedaemonium 233—237 Phil.

242—259 praeter 254* in totos exercitus, 248—253 in eos, qui apud Thermopylas occiderunt 247—249 Mel.
250—252 —
254*—257—259—261 —

260—262 in homines obscuros

---

*) Ordines elementares et progredientes et inversos, qui, cum vestigia praebeant coronarum Meleagri et Philippi, quae secundum initialium litterarum ordinem compositae erant, magni momenti sunt, suo quemque loco subiungam.

263—294 in homines aut in mari aut e naufragio evadentes mortuos, 295 in senem piscatorem 264—271 Mel.
278—280 Phil.
283—285 Mel.
286—288 Phil.
289—291 —
296—312 varia 298—303 Mel.
313—320 in Timonem 313—317 —
—319 —
321—343 anonymorum praeter 326, adiectum simili 325, et 341
322—324 Mel.
344—355 varia 352—354 —
356—360 in latronem, qui hominem a se interfectum sepeliverat
361—363 varia

364—405 e corona Phil. secundum ordinem elementarem, argumentorum ratione non habita, desumpta.

406—529 e corona Mel. conscripta.

406—420 praeter 413 in poëtas et alios arti musicae deditos
410—412. 415—418. 419—423
421—430 (Weigandius l. l. p. 163 per errorem —429) aenigmata explicant 422—428—430
431—438 praeter 433 in viros fortes 434—438
439—453 varia (441—445 in duos simul et complures mortuos)
442—444—446. 447—449. 450—453
454—457 in vinosum et vinosas
458—465 in mulieres
466—493 praeter 470—472 et 478—480 in mortuos, quorum ossa non satis tuta sunt, in homines maximam partem feminini generis immatura morte exstinctos
458—460 473—475.
462—464 476—478.
465—467 479—481.
467—471 485—487.
—472* 489—491.

494—506 in viros in mari defunctos 498—500.
507—525 varia Simonidis et Callimachi

unius Simonidis { 507—513. 514—516.

unius Callimachi 518—522.

526—529 Nicandri et Theodoridae

530—554 undique conscripta. 534—536 Mel.
537—540 —
541—543 —

555—614 argumento neglecto ex Agathiae Cyclo desumpta.

615—621 undique in antiquos poëtas et sapientes. 616—618 fortasse Mel.*)

622—645 secundum ordinem elementarem e Philippi corona desumpta.

646—665 e corona Meleagri decerpta.

646—649: 646. 647. 649 in homines feminini generis, 648, quamquam in virum est, mulieres tamen laudat

650—654 in homines in mari defunctos 650—652
653—655
656—658
—660
661—663

655—665 varia Leonidae Tarentini. Ep. 658, cuius primum distichon cum antecedente Leonidae epigrammate, alterum cum sequente male copulatum est, inscriptum est »θεοκρίτου, οἱ δὲ λεονίδου ταραν«. [τ written above]

666—706 undique conscripta. 691—695 Phil.
699—704 —

707—740 e corona Meleagri decerpta.

707—719 praeter 710—712 in virgines et 717 in senem in poëtas 708—710. 711—714. 715—717.

---

*) cf. p. 42 de anonymis cor. Mel. 615—619.

720—724 in homines bello mortuos. 725 in hominem vino mortuum 718—720
721—723
725—727

726—734 praeter 727 et 729. 730 in feminas puerperio mortuas in utriusque generis homines aetate confectos 728—731
733—735

737—739 in homines in mari mortuos. Antecedentia epp. 735. 736, in quibus de periculis vagandi agitur, non casu hoc loco posita videntur 735—737
738—740

741—748 undique conscripta. 741—743 Phil.

Ex tota igitur libri VII compositione elucet, Cephalam omnino hanc rationem secutum esse, ut epigrammata secundum argumenta undique concriberet, litterarum initialium ordinem neglegens. Atque eadem fere ratione argumentorum habita et summa cum diligentia libris excussis epigrammata 1—224. 225—363. 406—554. 615—706. 707—748 conscripta esse videmus. Qua de re in corona Meleagri, quae nobiliorum poëtarum et antiquorum epigrammata continebat, Cephalam eandem semper curam adhibuisse, levia autem magnam partem coronae Philippicae argumentis neglectis secundum ordinem elementarem hic illic conscripsisse, minime mirum est. Neque hoc te fugiet, si ordines elementares simul a me compositos et argumenta epigrammatum consideraveris, certis argumentis carere Passowii (v. l. l. p. 185) et Weigandii (v. l. l. p. 168) opinionem, qui Cephalam corona e Meleagrica derivata usum esse putant. Itaque sine ulla dubitatione, id quod in expedienda Anthologia valde nos iuvat, statuere possumus, Cephalam Anthologiam conscribentem coronam Meleagricam non minus, quam Philippicam in manu habuisse verisimillimum esse.

Hoc modo totam fere rem explanaremus, si omnia epigrammata veris auctoribus ascripta essent. Sed nonulla lemmata vel dubia, vel incerta, vel propter temporis rationem aperte

fasla sunt*) (cf. e. gr. epp. 20. 254 Simonidis). Qua de causa praeter compositionis cognitionem et temporis rationes ex epigrammatis ipsis alia argumenta quaerenda sunt. Atque multae imitationes statui possunt, quae ad res singulorum poëtarum cognoscendas et ad tempora nonnullorum epigrammatum definienda permultum valent. Huc accedunt antiquiorum et recentiorum epigrammatum differentiae quaedam, quae ad hoc tempus non accuratius perspectae diligentiore disquisitione indigent.

## 2. De imitationibus.

Lapicidas vel malos versificatores quosdam inscriptiones saepissime imitatos esse et per se patet et ex epp. K.**) 52 et 53, 376 a—d, 448—453, 520. 523 eisdem locis repertis elucet. Neque vero raro poëtarum Anthologiae imitatationes inveniuntur. Si omnia autem comprehendimus, duo nobis genera imitationum secernenda sunt: unum complectitur eas formas epigrammatum atque sententias, quae sua sponte et natura rerum aut a poëta quodam ortae omnibus fere notae et ad usum paratae erant, alterum ad verba et sententias singulorum poëtarum pertinet, quae ab aliis poëtis imitatione expressa sunt. Atque, cum utrumque suo quodque modo nos adjuvet, singula accuratius persequamur.

### *a.*

1. »Hic monumentum est — vel posuit —« et »hic terra habet —«: hae sententiae epp. K. 2—7. 9—12. 14. 15. 17. 21. 26. 54. 66. 70. 73. 179—181, aliis — 31. 34. 37. 44. 45. 48. 49—51. 56—58. 64—68. 71. 72. 74. 76. 79, aliis aevi Alexandrini ita variantur, ut modo simpliciter ponantur, modo pauca addantur, quibus mortui virtutes nominantur vel eum desiderari exprimatur,

---

*) Hoc in notissimis poëtis imprimis contigisse consentaneum est.

**) K. significat Kaibelii l. c.

recentioribus autem temporibus magnam partem epigrammata tantum vario modo incipiant. Atque hae sunt nativae formae epigrammatum sepulcralium, quae sua sponte et usu exstiterunt. Ex multis autem epigrammatis Anthologiae unum tantum ep. 441 Archilochi confero:

*Ὑψηλοὺς Μεγάτιμον Ἀριστοφόωντά τε Νάξου*
*κίονας, ὦ μεγάλη γαῖ', ὑπένερθεν ἔχεις.*

Hoc epigramma multum a simplicibus epigrammatis supra allatis differre facile concedes. Etenim tale acumen, quale in hoc epigrammate VII a. Chr. n. s. orto nitet, in nullo illorum VI aut V s. reperitur. Sed veri poëtae de suo omnia fingunt atque valde erret, si quis illa de causa hoc epigramma ab Archilocho abiudicare velit.

2. Voce *σωφροσύνη*, nonnunquam cum voce *ἀρετή* coniuncta, ab autiquis temporibus usque ad recentissima saepissime laudantur mortui, ut epp. K. 2. 4. 17. 39. 51. 53. 55. 59. 60. 103. 104. 151. 152. 378. 384. 405. 520. 525. 558. 560. 562. 563. 567. 569. 682. 686, Anthol. Pal. 452 Leonidae (Tar.), aliis.

3. »*Θανάτῳ πάντες ὀφειλόμεθα*« epp. 459,4 Callimachi, 732,2 Theodoridae*), 419,2 Meleagri, 290,6 Statyllii Flacci, 457,2 Leonidae Alexandrini, K. 123,3. 387,10. 576,4. 589,3 variatum ex Simonidis ep. X 105,2 ortum esse videtur.

4. Ad eiusdem Simonidis ep. 507 ultimum distichon:

*Οὐκ ἐπιδὼν νύμφεια λέχη κατέβην τὸν ἄφυκτον*
*Γόργιππος ξανθῆς Φερσεφόνης θάλαμον*

et ep. 508,4:

*φῶτας ἀπέστρεφεν Φερσεφόνης θαλάμων*

usus ille referendus esse videtur, quod Proserpina viros, vel Pluto feminas in thalamum rapiens fingitur in epp. 492,5.6 Anytae, 13,3 Leonidae, aliis Meleagri, 182,1.2. 476,7 Meleagri, 643,3 Crinagorae, 183,1.2 Parmenionis, 186,5.6 Philippi, 547,3.4

*) Quo dilucidior res fiat, poëtas et epp. anonyma Anthologiae secundum aetatem comparavi, quam altera commentationis parte singulis assignavi, quam v. de rebus dubiis.

Leonidae Alexandrini, K. 98,4. 151,7.8. 199,2. 201,4. 203,4. 647,4. 468,2. Sine hoc lusu est ep. 489 Sapphus, ubi Proserpinae *θάλαμος* primo nominatus esse videtur.

5. Non minus usitata erat forma ad homines, qui praematura praesertim morte decesserant, relata: »Modo florentem — tumulus vel Parca vel invidus Pluto habet vel rapuit«, quae variatur epp. 210 Antipatri (Sid.), 13 Leonidae, aliis Meleagri, 182. 468 Meleagri, 12 incerti, 643 Crinagorae, 671 anonymi, aliis Bianoris, 186 Philippi, K. 100. 208 a. 228. 235. 250. 340. 345. 348. 371. 379. 381. 465. 474. 478. 496. 497. 540. 551 b. 570. 576—578, aliis. Referenda autem est ad ep. 712 Erinnae »*Νύμφας Βαυκίδος ἐμμί·* — *Βάσκανος ἔσσ' Ἀΐδα*«, quippe quae in summo honore fuerit apud Alexandrinos.

6. Item Simonidis ep. 249, quod viatorem adhortatur, ut domi mortem nuntiet, notissimum fuisse, epp. 718 Nossidis, 500 Asclepiadis, 521 Callimachi, 502 Nicenaeti, 540 Damageti, 544 anonymi, 499 Theaeteti, 631 Apollonidae, in quibus eadem forma reperitur, docent.

7. »Non parvus tumulus monumentum est, sed tota Graecia vel terra quaedam vel mons vel mare vel totus orbis terrarum« variatur epp. 45,1 Thucydidis, 390,1.2. 705,2 Antipatri (Thess.), 235,3 Diodori Tarsensis, 73 Gemini, 396,1 Bianoris Bithyni, 240 Addaei, 237 Philippi Thess. vel Alphaei Mitylenaei, 47,1 incerti, 137,3 anonymi. Atque hanc sententiam, unde Crinagorae quoque ep. 380,3.4: »*Μὴ λίθῳ τεκμαίρεο — τὸν θανόντα*« ortum esse videtur, a Thucydide primo expressam esse epigrammate inde probabile est, quod haud dubie ad locum illum orationis Periclis: »*ἀνδρῶν γὰρ ἐπιφανῶν πᾶσα γῆ τάφος*« (cf. Thucyd. II 43,3) referenda est.

8. »Sit terra levis« est sententia usitata, quae fortasse ex Euripidis Alc. 464: *κούφα σοι χθὼν ἐπάνωθε πέσοι* innotuit. Cf. epp. 460,3 Callimachi, 708,1 Dioscoridis, 461. 476,9.10 Meleagri, 632,5.6 Diodori, 401,8. 628,8 Crinagorae, 372,1.6 Lollii Bassi, 278,8 Archiae Byzantii, 554,5 Philippi Thessalonicensis, K. 329,2. 538,7. 551,4. 559,3, 569,5.

9. »Corpus terra, aether vel Olympus animum habet« variatur epp. 61,1.2 anonymi, 62,3.4 anonymi, 16,1 Pinyti, 362,3 Philippi Thess., 363,2.3. 672,1. 337,7.8 anonymorum, K. 21,5. 35,5.6. 41 et simillimo Aristotelis Pepli ed. Rose fr. 50. 90,1.2. 104,6. 150,8. 156,1.2. 159,2. 175,3.4. 164. 225. 243,5.6, 18.19. 250,5.6. 261,5.6,7.8,9.10,11.12,21.22 (quater igitur repetitum). 288. 315,1.2. 324,1—4. 325,5.6. 338,1.2. add. 646a,4, aliis.

10. Symbola quaedam in sepulcris posita vario modo tractantur. Atque primo Simonides ep. 344 in Leontem leonem ut roboris imaginem laudat. Quem sequuntur Antipater Sidonius epp. 426. 161, Lollius Bassus ep. 243, auctores incerti epp. 62. 64 et K. 204. 502. Ibidem autem origo quaerenda est lusus illius epigrammatum aenigmaticorum 421—430, cuius princeps est Leonidas Tarentinus, auctor ep. 422.

Docemur igitur, omnia epigrammata communi quadam regula metiri perversum esse atque nobilium poëtarum ac maxime Simonidis exempla ad recentiora epigrammata conformanda permultum valuisse. Qua de causa cavendum est, ne in imitationibus statuendis tales sententiae nos fallant.

## *b.*

Sequitur, ut singulorum epigrammatum imitationes investigemus, id quod ad tempora nonnullorum epigrammatum vel poëtarum definienda magni momenti est.

De Archilocho, Sappho, Erinna v. p. 7 sq. Ad Erinnae ep. 712,5—8 ref. ep. 182,5—8 Meleagri, 185,5.6 Antipatri Thess., 188,5—8 Antonii Thalli Milesii, 183,3.4 Parmenionis.

Ad Simonidis Cei epp. 24.25 ref. ep. 31 Dioscoridis, epp. 23.26.27.29 Antipatri Sidonii. Cf. cum illis epp. 21.22 Simmiae, 440. 648 Leonidae Tarentini. Ex ep. 249 expressa sunt epp. 436 Hegemonis, 437 Phaënni, K. 32, ceterum v. p. 8. Ex ep. 251 expressum est ep. 255 Aeschyli, qui haud dubie imitatur poëtam Ceum, qui elegia illa in viros ad Marathona mortuos eum superavit. Atque maxime quidem in animo habebat Aeschylus ep. 251 v. 3, ad quem referendus est ep. 255 v. 3

et v. 1 *Κυανέη καὶ τούσδε.* Ad ep. 251,2 ref. 242,2 Mnasalcae, 241,4 Antipatri Sid., cuius ultimum distichon ex eiusdem Simonidis ultimo disticho expressum est. De ep. 344 v. p. 9 s. 10. Ex ep. 348 expressum est ep. 349 anonymi. Ep. 300,3.4 et ep. 443,3.4 acumina simillima sunt. Ex ep. 496 ductum est ep. 271 Callimachi. Ep. 507 v. 4 et ep. 508 v. 4 in dissimilitudine sunt similes. Ad ep. 516 ref. incerta 310. 356—360. Ad ep. 511,2 ref. K. 539,3. Ep. 513 et ep. 647 Simonidis, aliis Simmiae, simillima, imitatur Anyta ep. 646.

De Aeschyli ep. 255, imitante ep. 251 Simonidis, v. supra s. Simonide.

De Thucydidis ep. 45 v. p. 8 s. 7.

Ex ep. 320 Hegesippi expressa sunt epp. 315 Zenodoti, aliis Rhiani, 316 Leonidae aut Antipatri. Ad. ep. 276 referenda videntur epp. 382. 383 Philippi Thessalonicensis. Cum ep. 466,2 *γαῖαν ἐφεσσάμενος* cf. ep. 238,2 Addaei et ep. K. 243,33.

Ad Platonis ep. 670 ref. ep. K. 568,3.4.

Ex Chaeremonis ep. 720 expressum est ep. 244 Gaetulici.

Ad ep. 345 Aeschrii Samii ref. ep. 450 Dioscoridis in eandem Philaenidem.

Cratetis Thebani ep. 326 expressum est ex ep. 325 anonymi.

Ex ep. 190 Anytae, aliis Leonidae expressum est ep. 364 Marci Argentarii. Ad ep. 486 ref. ep. 488 Mnasalcae. Ep. 646 imitatur ep. 513 Simonidis et ep. 647 Simonidis, aliis Simmiae.

Ad ep. 145 Asclepiadis Samii referenda videntur ep. 146 Antipatri Sid. et Mnasalcae epigramma ab Athen. IV p. 163 A (v. Bergk. l. c. p. 651) prolatum.

Mnasalcae Sicyonii ep. 192 amplificatur ep. 196 Meleagri. Ep. 242,2 imitatur ep. 251.2 Simonidis. Ep. 488 ref. ad ep. 486 Anytae. De imitatione Asclepiadis ep. 145 v. supra.

Ad Niciae Milesii ep. 200 ref. ep. 201 Pamphili.

Ad ep. 13 Leonidae (Tar.), aliis Meleagri ref ep. 14 Antipatri Sidonii. Praeterea cf. p. 8 s. 5. Ex ep. 67 ortum est ep. 65 Antip. (Sid.), ex hoc ep. 66 Onestis, ex ambobus ep. 68

Archiae. Ep. 163 Leonidae imitatur Antipater Sid. ep. 164; ex hoc ep. K. 248, ex illo ep. K. 247 ortum est. Ad ep. 173 Diotimi, aliis Leonidae ref. ep. 174 Erycii. Ex ep. 190 Anytae, aliis Leonidae expressum est ep. 364 Marci Argentarii. Ep. 266 amplificatur eiusdem epigrammate 264. Ad ep. 273 Leonidae ref. epp. 392 Heraclidis Sinopensis, 395 Marci Argentarii, sed utrum prius exstiterit — alterius enim epigramma alteri notum fuisse ex ultimis epigrammatum versibus patet — eruere non possumus. Ep. 316 Leonidae aut Antipatri (cf. p. 35) imitatur ep. 320 Hegesippi atque ex illo haud dubie expressa sunt ep. 314 Ptolemaei et ep. 318 Callimachi, cuius alter versus nisi ex comparatione ep. 316 ultimi distichi plane intellegi non potest. Ex ep. 408 ortum videtur ep. 405 Mimnermi*), aliis Philippi. Ad ep. 440 ref. epp. K. 251,1. add. 228b,5. Epp. 448. 449 idem lemma simillime tractant. Cum ep. 452 v. 2, qui ex ep. 265 v. 2 Platonis ortus videtur, cf. ep. K. 256,10. Ex ep. 455 Leonidae expressum est ep. 353 Antipatri Sid. atque ad v. 1 ref. eiusdem Antipatri ep. VI 291,1. Ex ep. 504 Leonidae ductum est ep. 702 Apollonidae. Ad ep. 654 ref. ep. 275 Gaetulici. Ex ep. 660 expressum est ep. 533 Dionysii Andrii. Ad ep. 740,2 ref. ep. K. 298,4. Ep. 740,6 cf. cum ep. 268,4 Platonis.

Callimachi ep. 271 imitatur ep. 496 Simonidis; vv. 3. 4 similes sunt eiusdem ep. 272,3.4. Ad ep. 272 ref. ep. 274 Onestis Byzantii. Ep. 318 in Timonem expressum est ex ep. 316 Leònidae aut Antipatri, de quo v. supra.

Ad ep. 267 Posidippi ref. ep. 278 Archiae Byzantii.

Ad Diotimi, aliis Leonidae ep. 173 ref. ep. 174 Erycii.

Alcaei Messenii ep. 536 (de cognomine v. p. 38) ref. ad ep. 408 Leonidae.

Ad Dioscoridis ep. 31, expressum ex epp. 24. 25 Simonidis, ref. ep. 30 Antipatri Sidonii. Ad ep. 351 ref. ep. 352 anonymi,

---

*) Non supervacanea videtur adnotatio, in hac commentationis parte me lemmata Anthologiae retinuisse.

aliis Meleagri. Ep. 434 simile est eiusdem ep. 229. Ep. 450 ref. ad ep. 345 Aeschrii Samii. Ad ep. 456,4 ref. ep. 457,8 Aristonis.

Ep. 315 in Timonem Zenodoti, aliis Rhiani expressum est ex ep. 320 Hegesippi.

Ex Antipatri Sidonii ep. 2,9.10 expressum est ep. 4,3—6 Pauli Silentarii. Ep. 14 ref. ad ep. 13 Leonidae, aliis Meleagri. Epp. 23. 26. 27. 29 ref. ad epp. 24. 25 Simonidis. Ep. 29,4 *νέκταρ ἐναρμόνιον* cf. cum ep. K. 787 et Pind. Olymp. VII 7. Ep. 30 ref. ad ep. 31 Dioscoridis. De epp. 65. 164 v. s. Leonida Tarentino. Ep. 146 expressum videtur ex ep. 145 Asclepiadis. Ad ep. 164,4 referendum videtur ep. 182,2 Meleagri. Ep. 241 vv. 4. 11. 12 ex ep. 251 Simonidis orti sunt. De ep. 316 v. s. Leonida Tarentino. Ep. 353 expressum est ex ep. 455 Leonidae, de quo v. supra. De epp. 426. 161 ad ep. 344 Simonidis referendis v. p. 9 s. 10. Ep. 464 Antipatri (haud dubie Sidonii) ductum est ex. ep. 465 Heracleti, quem tumulum recentem finxisse minime probabile est. Utrumque autem epigramma auctori ep. K. 675 notum fuisse videtur. Ad. ep. 748,4 ref. ep. K. 223,4.

Ad Tymnae ep. 433 in ignavum Lacedaemonium ref. epp. 230 Erycii Cyziceni, 531 Antipatri Thessalonicensis; quorum alterum altero cognito ortum est, sed utrum prius exstiterit diiudicari non potest.

Aristonis ep. 457,8 ref. ad 456,4 Dioscoridis.

Dionysii Andrii (cf. p. 41 sq.) ep. 533 expressum est ex ep. 660 Leonidae Tarentini.

De Hegemonis ep. 436, expresso ex ep. 249 Simonidis v. supra s. Simonide.

De Heracleto v. supra s. Antip. Sid.; ibidem v. de Onestis Byzantii ep. 66.

De Archiis v. p. 43. Ep. 68, quod propter o. el. Mitylenaeo tribuendum est, ortum est ex epp. 67 Leonidae et 65 Antipatri. In tractando lemmate ep. 147, cuius vv. 9.10 amplificat ep. 148 anonymum, idem Mitylenaeus eiusdem Antipatri Sid. ep. 146 secutus esse videtur.

De Ptolemaei ep. 314 v. s. Leonida Tar.

Ad Meleagri ep. 182 ref. ep. 186 Philippi. De eisdem epp. v. p. 8 s. 4. Ep. 196, ex quo eiusdem ep. 195 ortum videtur, expressum est ex ep. 192 Mnasalcae. Ep. 352 anonymi, aliis Meleagri ref. ad ep. 351 Dioscoridis. Epp. 417. 419 de Meleagri ipsius morte similia sunt. Cum ep. 419 vv. 3.4 cf. simile ep. 416 incerti. Ep. 182,5—8 expessum est ex ep. 712,5—8 Erinnae.

Antipatri Thessalonicensis ep. 236 simillimum est ep. 136 Antipatri; ceterum v. infra s. Diodoro Tarsense. Cum ep. 287,7.8 haud dubie Thessalonicensis cf. ep. 381,5.6 Etrusci Messenii, sed, utrum prius exstiterit, incertum est. Ex ep. 289 Antipatri Macedonis expressum est ep. 550 Leonidae Alexandrini. Ep. 390 haud dubie Thessalonicensis haud eleganter exprimit ep. 45,1 Thucydidis, de quo v. p. 8 s. 7. De ep. 531, referendo ad ep. 433 Tymnae, v. supra s. Tymne.

Marci Argentarii ep. 364 ref. ad ep. 190 Anytae, aliis Leonidae. De ep. 395, referendo ad. ep. 273 Leonidae v. supra s. Leonida.

Diodori Tarsensis grammatici ep. 235: ep. 236 Antipatri Thess. = ep. 137 anonymi: ep. 136 Antipatri, sed ep. 137 Diodoro ascribere non audeo. Epp. 74. 235 expressa sunt ex ep. 236 Antipatri. Cum ep. 701 ultimo disticho cf. ep. 361 incerti, sed tempus, quo hoc exstiterit, definiri nequit.

Erycii ep. 174 expressum est ex ep. 173 Diotimi, aliis Leonidae. De ep. 230 v. s Tymne.

Ad Antonii Thalli Milesii ep. 188,5 ref. ep. 186,3 Philippi. De imitatione Erinnae v. supra.

Cum ep. 237 Philippi Thess. vel Alphaei Mitylenaei cf. ep. 240 Addaei, sed, utrum alterum imitatum sit, statui non potest. Cf. p. 8 s. 7.

Tullii Gemini ep. 73 referendum est ad ep. 45 Thucydidis; utrumque autem auctor ep. anonymi 137 cognovisse videtur. Ceterum v. p. 8 s. 7.

De Crinagorae ep. 643 v. p. 8 s. 4. Cum ep. 628,5 cf. ep. K. 329.

Apollonidae ep. 233 eisdem paene verbis expressit Philippus Thess. ep. 234. Cum ep. 378 cf. ep. K. 253. Ep. 702 ductum est ex ep. 504 Leonidae.

Ex ep. 141 Antiphili Byzantii ortum videtur ep. 385 Philippi Thessalonicensis. Ep 399 simile est epigrammati 396 Bianoris Bithyni, sed, utrum altero cognito factum sit, incertum est. Ad ep. 635 in piscatorem ref. epp. 305, Addaeo Mitylenaeo ascriptum, 381 Etrusci Messenii, 585 Juliani. Antiphilum autem principem fuisse huius lemmatis e comparatione ceterorum eiusdem epigrammatum patet, quae omnia fere idem recens ingenium eandemque artis naturam spirant, quae in ep. 635 conspicitur. Itaque epp. 305. 381 »ἄνθεσιν ἀρτιφύτοις« Philippi Thess. recte adnumerantur.

De ep. 396 Bianoris Bithyni v. sub Antiphilo. Ep. 644,5.6 acumen simile est ep. 671 anonymi, aliis Bianoris.

De Addaeo v. p. 42. De ep. 240 v. p. 8 s. 7; certum autem auctorem, quem imitatus sit Addaeus, non reperio. De ep. 305 Addaei Mitylenaei v. s. Antiphilo. Cum ep. 238,2 *βῶλον ἐφεσσάμενος* cf. ep. K. 243,33 *γαῖαν ἐφεσσάμενος*.

De Leonidae Alexandrini ep. 550 v. s. Antipatro Thessalonicense.

Parmenionis Macedonis ep. 183,3.4 ref. ad ep. 712,5—8 Erinnae.

De Etrusci Messenii ep. 381,5.6 v. s. Antipatro Thess. De ep. 381, referendo ad Antiphili ep. 635, v. supra s. Antiphilo.

De Heraclidis Sinopensis ep. 392 v. s. Leonida Tar.

De Archia Byzantio v. p. 43. Ep. 278 expressum est ex ep. 267 Posidippi.

De Philippi Thessalonicensis ep. 186, expresso ex ep. 182 Meleagri, v. s. Meleagro. Cf. p. 8 s. 4. Ep. 234 eisdem fere verbis exprimit ep. 233 Apollonidae. De ep. 237 v. p. 13 s. Alphaeo Mitylenaeo. Ep. 362,1 cf. cum ep. 3,1 anonymi. Epp. 382. 383 ex ep. 272 Hegesippi, ep. 385 ex ep. 141 Antiphili Byz. orta videntur. Ep. 405 Mimnermi, aliis Philippi in Hipponactem ep. 408 Leonidae haud dubie Tarentini male exprimit.

Cum ep. anonymo 3, epitaphio Homerico, cf. ep. 362,1 Philippi Thess. et epp. K. 354. 660 et 703 Romae reperta. 661, sed, quo tempore ortum sit, difiniri nequit. De ep. 137 v. p. 8 s. 7 et p. 12 s. Diodoro Tarsense. Ex ep. 325 expressum est ep. 326 Cratetis Thebani. Cum ep. 339 cf. ep. K. 646. De ep. 349 v. s. Simonide. Epp. 310. 356—359 in hominem a praedone occisum et deinde ab eo sepultum idem lemma similiter tractant, ep. 516 Simonidis imitantia. Atque ea post coronam Meleagricam consertam orta esse epigrammate 310 inter recentiora epigrammata posito probatur. Ep. 416 in Meleagrum simillimum est ep. 419,3.4 Meleagri atque, cum in corona Meleagrica id fuisse ex compositione cap. VII pateat, aut a Meleagro ipso aut ab aequali quodam factum est.

Multae igitur imitationes statui possunt, quae omnes ad Anthologiam et res singulorum poëtarum illustrandas aliquantum valent, magnam autem partem ad caput VII expediendum magni momenti sunt. Atque Cephalam ipsum saepius ad eas cognoscendas studium advertisse, epigrammata, quorum alterum ad alterum referendum est (cf. ex gr. ep. 173 Diotimi vel Leonidae et ep. 174 Erycii, ep. 230 Erycii et ep. 231 Damageti, ep. 326 Cratetis Thebani et ep. 325 anonymi, ep. 348 Simonidis et ep. 349 anonymi), composita docent.

## 3. De differentiis antiquiorum et recentiorum epigrammatum.

In hac quaestione proficiscendum nobis est ab epigrammatis sepulcralibus a Kaibelio l. c. ex lapidibus conlectis, quorum certiora testimonia habeamus monumenta et scripturam, quam tamen in recentioribus praecipue epigrammatis minime certam regulam praebere ex epp. K. 224. 242. 246. 477 patet. Antiquiora igitur epigrammata sunt, ut paucis complectar, simplicia et commoda, recentiora magnam partem longiora, leviora, garrula. Quamquam et illorum mala et horum simplicia exstitisse epp.

K. 26 et 121—124. 126. 134. 293 docent. Has autem inscriptiones si cum Anthologiae epigrammatis componimus, tenendum est, illas magnam certe partem ab hominibus esse factas, qui poetae nomen sibi non vindicabant (v. infra de memoria Homerica). Conferas cum inscriptionibus saeculi VI et V (cf. p. 7 s. 1) epp. 441 Archilochi, 489 Sapphus, 153 Cleobuli Lindii, 160. 226. 263 Anacreontis, 248—251. 253. 300. 344. 442. 443. 507. 508 Simonidis, 255 Aeschyli, 45 Thucydidis: in omnibus his poëtarum epigrammatis non eadem simplicitas conspicitur, quae illis usu data est, sed acumina nitent, quae in illis prorsus desiderantur. Sed nihilominus Anthologiae epigrammata antiquiora a recentioribus omnino valde differunt. Namque aevo Alexandrino, quo studium rerum antiquarum florescebat, coepta sunt in antiquos homines nobiles epigrammata fieri, quorum magnam partem in initio Anthologiae cap. VII habemus. Ex hac autem antiquorum poëtarum imitatione, quam supra explanavimus, ortum est peculiare quoddam genus epigrammatum Alexandrinorum. Atque hic praecipue lusus est aevi Alexandrini, ut poëtae epigrammata, quorum argumenta non sua sponte, ut ita dicam, se offerant, sed cum studio conquirantur, condant atque idem lemma saepius tractent. Itaque primo Simmiae ascribuntur epp. 193. 203 in animalia, Asclepiadi ep. 217 in meretricem, Leonidae haud dubie Tarentino ep. 163, in quo interrogatio et responsio variant, eidem ep. aenigmaticum 422, de quo v. p. 9 s. 10.

Horum igitur epigrammatum Alexandrinorum et antiquiorum elocutionis differentias quasdam reperiri mirum non est, sed cum multum in hac re peccatum esse videatur, accuratius de ea disserendum est.

1. Carmina Homerica quam late divulgata fuerint quantumque ad inscriptiones conformandas valuerint, ex multis locis, quos Kaibelius l. c. p. 694 sqq. composuit, elucet. Atque haec nativa poësis, quae notas divini ingenii sententias palam proferre solet, docet et magnam partem inscriptionum ab hominibus, qui nomen poëtae non habebant, factam esse et

Graecis Homerica carmina idem fere fuisse, quod nobis in titulis faciendis sunt libri sacri. Quare mirandum non est, in epigrammatis Anthologiae dictiones Homericas rariores et plerumque occultiores reperiri, quae maxime conspiciuntur in epp. 1,5 Alcaei Messenii, 3 incerti, 140,2.4 Archiae, 158 incerti, 161 Antipatri Sid., 258 Simonidis, 296 Simonidis Cei, 297 Polystrati, 300. 301 Simonidis, 304,4 Pisandri Rhodii, 334 anonymi, 343 incerti, 363 anonymi, 446,3 Hegesippi, 469 Chaeremonis, 514,4. 515,4 Simonidis, 525,5 Callimachi, 624 Diodori, 678 anonymi, 716 Dionysii Rhodii. Ad »*θρεπτήρια*« Homeri ref. epp. 467 Antipatri (Sid.), 468 Meleagri, 484 Dioscoridis, K. 201,6. 204,10. 216,2. C. J. 2240. A nulla autem aetate hic usus dictionum Homericarum alienus erat.

2. Anaphoras habent Anthologiae Palatinae:

Erinna ep. 710 *εἴπατε-εἴπατε. χὤτι-χὤτι-χὤτι-καὶὅτι.*

Simonides Ceus ep. 25 *πνείοντα-πνείοντα. ὅτι-ὅτι*, ep. 270 *ἕν-μία-εἷς.*

Hegesippus ep. 320 *πάρελθε-πάρελθε.*

Plato ep. 256 *χαῖρε-χαίρετε-χαῖρε*, ep. 268 *τόσσον-τόσσον.*

Simmias Thebanus ep. 21 *τόν-τόν*, ep. 22 *ἠρέμα-ἠρέμα.*

Aeschrio Samius ep. 345 *οὐ-οὐδέ-οὐ-οὐδέ.*

Leonidas Tarentinus (cf. p. 34) ep. 19 *τόν-τόν-τόν*, ep. 273 *καί-καί-καί*, ep. 316 Leonidae aut Antipatri *μήτε-μήτε-μή*, ep. 440 *οἷον-οἵην. ᾔδει-ᾔδει-ᾔδει*, ep. 448 *ἄκρον-ἄκρα-ἄκρα-ἄκρα*, ep. 449 *καί-καί-καί-καί*, ep. 463 *αὗτα-αὗτα-αὗτα-αὗτα*, ep. 466 *ἆ δείλ' Ἀντίκλεις-ἆ δείλ' Ἀντίκλεις*, ep. 472 *οἷον-οἷον*, ep. 478 *τίς-τίνος*, ep. 657 *εἰσί-εἰσίν*, ep. 736 *μὴ φθείρου-μὴ φθείρου. ᾖ καί-ᾖ καί*, ep. 740 *ὁ πρίν-ὁ τὸ πρίν-ὁ πρίν-ὁ πρίν-ὁ.*

Alexander Aetolus ep. 534 (v. p. 36 sq.) *ἔμπορος-ἔμπορος.*

Callimachus ep. 518 *οὐκέτι-οὐκέτι.*

Dioscorides ep. 167 (v. p. 39) *ἄρτι-ἄρτι*, ep. 351 *οὐ-οὔτε-οὔτε-οὔτε*, ep. 407 *ἤ-ἤ-ἤ*, ep. 456 *τήν-τήν.*

Damagetus ep. 9 *ᾧ-ὅτῳ-ὅς-ὅς*, ep. 735 *ποῖον-ποῖον.*

Antipater Sidonius (cf. p. 40) ep. 2 *τάν-τό-τάν. ᾧ-ᾧ. καί-καί-καί*, ep. 8 *οὐκέτι-οὐκέτι-οὐ-οὐκέτι-οὐχί-οὐ-οὐ*, ep. 14 *ἅν-ἅς*, ep. 26 *σπεῖσον-σπεῖσον. ὡς-ὡς*, ep. 27 *ἠέ-ἠέ-ἤ*, ep. 29 *εὕδεις-*

εὕδει-εὕδει, ep. 65 ὅς-ᾧ, μία-μία-εἷς, ep. 210 ἄρτι σε-ἄρτι σε, ep. 218 καί-καί-καί. ἐφ' ᾗ-ἧς-ἧς-ᾗ, ep. 353 οὐ-οὐ, ep. 409 εἰ-εἰ-εἰ-εἰ, ep. 413 οὐχί-οὐδέ-οὐ-οὐ, ep. 423 ἀεί-ἀεί, ep. 467 ὤλετο-ὤλετο-ὤλετο. ἐς-ἐς-ἐς.

Tymnes ep. 433 ἔρρε-ἔρρε-ἔρρε.

Phalaecus ep. 542 (cf. p. 42) τέκος-τέκος.

Carphyllides ep. 260 οὐδενός-οὐ-οὐ.

Archias Mitylenaeus (de Archiis v. p. 43) ep. 68 καί-καί-καί-καί-καί, ep. 147 οὐδέ-οὐ-οὐ-οὐ-οὐ, ep. 191 πολλάκι-πολλάκι, ep. 214 οὐκέτι-οὐδέ-οὐδέ.

Meleager ep. 195 ἀκρίς-ἀκρίς, ep. 417 μίαν-ἕν, ep. 421 τί-τί-τίς, ep. 476 μνᾶμα-μνᾶμα. οἰκτρά-οἰκτρά. ἅρπασεν-ἅρπασεν, ep. 535 οὐκέτι-οὐκέτι. τί-τί. Δάφνις-Δάφνις.

Philodemus Gadarenus ep. 222 ἐνθάδε-ἐνθάδε. ᾗ-ᾗ.

Tullius Laureas ep. 294 τόν-τόν-τόν.

Antipater Thessalonicensis (cf. p. 45) ep. 625 εἰδότα-εἰδότα, ep. 666 οὗτος-οὗτος-ταῦτα-τοῦτο, ep. 692 (aliis Philippi) τό-ὁ-ὁ-ὁ-αἵ τε. οὔτε-οὔτε-οὔτε.

Marcus Argentarius ep. 403 ὅτι-ὅτι.

Crinagoras ep. 371 γῆ-γῆ.

Marcus Pompejus junior ep. 219 ἡ-ἡ.

Leonidas Alexandrinus ep. 548 ἐστὶ Δικαιοτέλους-ἐστὶ Δικαιοτέλους. κεῖνος ὅδ' ἐστὶν ἀνήρ- κεῖνος ὅδ' ἐστὶν ἀνήρ.

Etruscus Messenius ep. 381 σύμπλοος εἰς-σύμπλοος εἰς.

Heraclides Sinopensis ep. 281 ἄπισχ' ἄπισχε, ep. 392 καί-καί-καί-τέ.

Isidorus Aegeates ep. 156 τοῦτο-τοῦτο.

Thyillus ep. 223 ἡ-ἡ-ἡ-ἡ. οὐκέτι-οὐκέτι.

Archias Byzantius junior ep. 140 (cf. p. 43) καί-καί-καί-καί.

Anonymi cor. Mel. ep. 12 ἄρτι-ἄρτι, ep. 321 καί-καί-καί-καί. θῆκε-θῆκε, ep. 714 φιλέοντα-φιλέοντα. πολλά-πολύν. (Cf. p. 44)

Contra in inscriptionibus (v. K. l. c. p. 680) usque ab aevo Alexandrino tantum anaphorae reperiuntur. Sed valde vituperandi sunt, qui hac de causa de epigrammatis illis Anthologiae, quae antiquioribus temporibus tribuuntur, suspicionem habent. Namque antiquorum poëtarum usum inscriptionibus

antiquis Kaibelii tam accurate metiri pravum esse supra demonstravimus atque poëtarum elegiacorum praeter usitatas coniunctiones permultae — id quod consentaneum est — anaphorae inveniuntur, ut Bergkii l. c. p. 408 Mimnermi *τίς δέ-τί δέ*, Solonis p. 425 *ἄλλος-ἄλλος-ἄλλος-ἄλλον-ἄλλοι*, Theognidis p. 503 *πάντῃ-πάντῃ-πάντῃ*. p. 510 *ἥν τε-ἥν τε*. p. 520 *ὥς-ὥς*. p. 521 *χαίρω δέ-χαίρω δέ*, p. 526 *παντοῖαι-παντοῖαι*. *αἰσχρόν-αἰσχρόν*. *πᾶς-πᾶσι*. p. 528 sq. coni. *καί* octies repetita. p. 538 *εὖ-εὖ*. p. 546 *ἄλλοτε-ἄλλοτε-ἄλλοτε*. p. 551 *εἰ-εἰ*. *χαλεπόν-χαλεπόν*. p. 559 *ὤλετο-ὤλετο*, Aristotelis p. 664 *σεῦ-σάν-σοῖς-σᾶς*.

3. Dictio quae vocatur *ἀσύνδετος* reperitur in epp. K. 155. 644 atque etiam 26, quod homo artis poëticae rudis ante medium saeculum IV fecit. Contra in Anthologiae recentioribus tantum epigrammatis 180 Apollonidae, 279 incerti, 281 Heraclidis, 371. 380 Crinagorae, 381 Etrusci Messenii, 390 Antipatri (Thess.) 465 Haracleti, 472 Leonidae (Tar.), 635 Antiphili Byz., 648 Leonidae Tarentini, 661. 663 Leonidae (Tar.) invenitur.

4. Particula *τοί* artis tantum Alexandrinorum esse videtur, quos ut doctos magistros ea saepissime usos esse mirum non est. Cf. epp. K. 187. 258, Anthologiae epp. 14,1 Antipatri Sid., 482,1. 483,1 incertorum, 531,1 Antipatri Thess., 649,1 Anytae lyricae, 730,1 Persae.

5. Epigrammatum aevi Alexandrini notandus est contra usitatos hexametros et disticha elegiaca liberioris metri lusus, qui conspicitur in Anthologiae epp. 663. 664 Leonidae, 728 Callimachi, 693 Apollonidae.

Caesura bucolica (cf. K. ad. epp. 189. 257. 259) tempus epigrammatum definiri nequit, cum ea etiam in antiquis epigrammatis 160,1. 263,3 Anacreontis, 301,1. 347,1. 442,1. 507,1. 509,1. 510,1 Simonidis, 255,3 Aeschyli, 45,3 Thucydidis, 276,3.5. 320,3 Hegesippi, 721,1 Chaeremonis, K. 19,1. 21,5.7. 24,1. 179,3 reperiatur.

In recentioribus epigrammatis K. 48. 154. 211. 571. 616 propter nomina metrum mutatum est. Cum hoc lusu Alexandrino si conferimus Bergkii l. c. p. 604 fr. 3 Critiae in Alcibiadem:

*Καὶ νῦν Κλεινίου υἱὸν Ἀθηναῖον στεφανώσω,*
*Ἀλκιβιάδην νέοισιν ὑμνήσας τρόποις·*
*οὐ γάρ πως ἦν τοὔνομ' ἐφαρμόζειν ἐλεγείῳ·*
*νῦν δ' ἐν ἰαμβείῳ κείσεται οὐκ ἀμέτρως.*

videmus, quam caute de singulis argumentis iudicandum sit.

His rebus expositis multum certe obscuritatis de Anthologia tolli altera commentationis parte docebimus, qua cap. VII usque ad Philippi Thessalonicensis aetatem expedientes singulaque epigrammata certis auctoribus atque temporibus tribuentes incerta et dubia, quoad fieri potest, illustrabimus.

# II.

Archilochus omnium, quorum epigrammata sepulcralia a Cephala nobis tradita sunt, veterrimus est. Eius est ep. 441, de quo v. p. 7 s. 1.

Pisandri Rhodii est ep. 304. Hunc diversum esse a Pisandro Camiraeo non est cur iudicemus. Welckerus quidem in sylloge epp. graec. ed. II 1828 praef. XXI loquitur de »Pisandro Rhodio, non vetere illo Camiraeo«, nullam autem causam adiicit. Sed hoc epigramma ab antiqua arte nullo modo abhorret, et nomen regionis nonnunquam pro certo loco adhiberi vel inde patet, quod Antipater Thessalonicensis ep. VII 289 nominatur Macedo.

Sapphus sunt epp. 489. 505 a Jocobsio in ind. poët. omissum. De vi ep. 489 v. p. 8 s. 4.

Erinnae nomen incriptum est epp. 710. 712. De huius poëtriae aetate summa inter viros doctos est dissensio, quae orta est e diversis chronographorum et Suidae Eustathiique testimoniis. Hieronymus ol. 106,4, Georgius Syncellus ol. 106,1 eam natam esse tradunt et Suidas s. *Ἤριννα* et Eustathius ad Il. B. 711 p. 366 extr. *ἑταίραν* Sapphus (Suidas *καὶ ὁμόχρονον*) eam fuisse volunt. Itaque G. Richterus in libelli »Sappho et Erinna etc.« p. 68 chronographis solis, Th. Welckerus in »Kleine Schriften« tom. II p. 145—152 Suidae et Eustathio fidem habendam esse docent, Malzowius in libello de Erinnae Lesbiae vita et reliquiis, ut fere Jacobsius in cat. poët. et Weigandius in Mus. Rhen. tom. III p. 170 duas Erinnas fuisse statuunt. Atque Welckerum sequuntur Schneidewinus in del. poës. graec. p. 323, Bernhardyus in »Grundriss der griech. Literatur« II 1 p. 482. 599, Bergkius

l. c. p. 925. Contra O. Benndorfius in diss. »de Anthol. graec. epigrammatis, quae ad artem spectant« Richteri sententiam, unam fuisse Alexandri Magni temporibus subparem, probare studet. Ego autem, postquam saepius de hac re cogitavi atque diu, quam rationem sequerer, incertus fui, facere non possum, quin ad Welckeri partes accedam. Namque haec sententia, cum omnia, quae contra eam proferuntur, refelli vel in dubitationem vocari possint, multis argumentis fulcitur.

Is, qui Erinnam Alexandri Magni temporibus vixisse contendit, auctoritatem chronographorum maiorem esse dicat, cum e diversa anni natalis significatione utrumque pro se ipsum, altero non inspecto, scripsisse appareat. At fieri potuit, ut Georgius Syncellus ludibrio oculorum pro quarto ol. 106 anno legeret primum. Neque vero praetermittendum est, quod Benndorfius ne uno quidem verbo tetigit, ad hoc tempus servatum esse poëma lyricum in Romam, orbis terrarum dominam, quod inscriptum est: *Μελλινῶ ἢ μᾶλλον Ἠρίννῃ Λεσβία* (v. Welckeri l. c. p. 160). Haec duo nomina leviter scripta non dignoscas, itaque pro nomine ignoto notissimum lectum vel scriptum esse sexcenties invenitur. Etenim hoc poëma Erinnae tribuendum esse, quis est qui credat? Sed ex tali errore Hieronymi notatio oriri potuit. Neque hoc negari potest, facillime fieri potuisse, ut Hieronymus pro ol. LVI 4 legeret CVI 4. — Sed Benndorfius omnem dubitationem se sustulisse putat. Is cum nonnullis viris doctis, ut argumentationem eius probarent, persuasisse videatur, diligentius de ea disserendum est. Et maxime quidem iudicium suum fulcit epigrammate Anthol. Pal. VI 352:

*Δέξ᾽ ἀταλᾶν χειρῶν τάδε γράμματα, λῷστε Προμαθεῦ,*
*ἔντι καὶ ἄνθρωποι τὶν ὁμαλοὶ σοφίαν·*
*ταύταν γοῦν ἐτύμως τὰν πάρθενον ὅστις ἔγραψεν,*
*εἰ καὐδὰν ποτέθηκ᾽, ἦς κ᾽ Ἀγαθαρχὶς ὅλα.*

Hoc epigramma Sapphus actate existere non potuisse contendit, cum pictura, quae vix prima rudimenta superasset, non tantopere floruisset, ut esset cur poëtae versibus nobilitare vellent imagines

et, si floruisset, tam indiscretam, qualis in hoc Erinnae carmine praedicaretur, veritatis similitudinem eam non sectatam esse, ut, quae virtus multo posterius exstitisset, iam tum quasi praecepta fuisset. Sed ipsius verba sequentia audi: »Eiusmodi profecto acumen, quale in hoc epigrammate nitet, tum demum excogitari poterat, cum ars adulta iam et perfecta veritate alliceret poëtas etiam minoribus argumentis contentos novaque lumina captantes«. Concedendum quidem est, omnino res plane novas a poëtis non proferri, sed res oblatas non aliter, atque aequalibus videantur, fingi posse perversa est sententia. Homerica audias carmina. Num hominibus in rerum perturbatione viventibus omnes res, heroes, dei eiusmodi videbantur, quales canit vates Homerus? Scutum Achillis commemoro: universum mundum pro scientia illius aetatis optime compositum atque divina Hephaesti arte fictum manu tenet heros Achilles. Num igitur Homero vel Homeridae vel alii inferioris aetatis poëtae exemplum aeque bene fictum ante oculos positum erat? Concedo, similem sententiam in quopiam illorum temporum scuto expressum esse (cf. H. Brunnium in »Abhd. d. I. Cl. d. k. Ak. d. Wiss. XI. Bd. III. Abth. 1868«), sed artem illam tam perfectam fuisse, ut »efficaci veritate« poëtam ad divinum illud opus fingendum adduceret, quis credat? Equidem scutum tam perfectum, quam Homerus canit, unquam qualibet materia fictum iri negaverim. Sed cum Benndorfius omnino de vera artis natura non recte iudicasse videatur, paulo plura de hac re disseramus.

Artifex eo plus valet divino ingenio, quo clarius e contemplatione naturae atque mundi historiae, quid ipse, mundus, Deus sit quaque ratione homines beati fieri possint divinans cum ceteris mortalibus communicat. Significantur autem sententiae ex imitatione naturae vocibus, litteris, figuris atque quaeque ars omnino eo perfectior est, quo perfectiores sunt et sententiae et significationes. Sed hoc tenendum est, voces, litteras, figuras esse signa tantum sententiarum neque unquam figuras cum natura posse aequari. Quare sententiis magis,

quam significationibus earum artificiorum dignitatem metiri debemus, ita ut Aristotelis auctoritatem sequentes Polygnotum, cuius sententiae optimae, ipsa ars pingendi minus perfecta fuisse dicitur, Apelli anteponere non dubitemus. Etenim e divino ingenio Homerico, unde tota fere vita Graecorum effloruit, picturae illae ortae esse videntur.

Dixerit Benndorfius, Sapphus aetate artem pingendi multo inferiorem fuisse Polygnoto neque quidquam fuisse, cur »poëtae versibus nobilitare vellent imagines«. Ponamus, Agatharchidem in modum sciagrapharum pictam fuisse, id quod Sapphus aetate in Asiae minoris litore fieri potuisse nemo negaverit (cf. Plin. n. h. XXXV 15). Putasne igitur ad eiusmodi effigiem Erinnae epigramma referri non debere? Profecto vero vati punctum ipsum mirabile videtur. Quodsi Agatharchis pro aetate illa bene picta fuit, facillime fieri potuit, ut Erinna similitudinem circumscriptionum admirata caneret:

*εἰ χαὖδὰν ποτέθηκ᾽, ἦς κ᾽ Ἀγαθαρχὶς ὅλα.*

In hoc epigrammate nihil inest quaesiti aut lusus Alexandrini, sed simplicibus verbis et nativis summa laus artificio tribuitur, atque tale acumen ab antiquis poëtis abiudicandum non esse vel ex eis, quae p. 15 de epigrammatis sepulcralibus demonstravimus, elucet. At Nossidis epp. VI 353. 354, IX 604. 605 in mulierum imagines simillima sunt huic Erinnae epigrammati. At ego paeter formam usitatissimam, quae prorsus nihil momenti habet, nihil similitudinis video, nisi quod Erinnae laudatio optima, Nossidis minus bona est.

Neque satis gravia argumenta afferri possunt, quibus epp. 710. 712 antiquae Erinnae abiudicanda esse pateat. Hoc enim respiciendum est, puellam ingeniosam miserabili amicae fortuna valde commotam sepulcro columnis, Sirenibus, hydria ornato haec verba dedicasse, — unde anaphoras illas ortas esse non mireris, de quibus v. p. 16 sqq. Si autem indolem epigrammatum argumentorumque naturam investigamus, ep. 710 ab ep. 712 excipi, non idem lemma Alexandrino more variari, videmus. Epigrammate enim 710 Baucis signa alloquitur, ut fortunam

eius cum praetereuntibus communicet et ep. 712 altera ut videtur columna dicto audiens non omnia repetit, sed Baucidis se esse dicit et atrocem fortunam ep. 710 v. 5 »*χὤτι με νύμφαν εὖσαν ἔχει τάφος*« breviter tantum perstrictam non vituperanda arte conqueritur. Haec epigrammata utrum in adversis cippi lateribus, ut Heckerus l. c. p. 100 vult, an in duabus columnis inscripta fuerint, statui non potest neque magni momenti est. De tota autem quaestione omnis error tolleretur, si de vera Baucidis fortuna certos auctores haberemus. Sed causam non video, cur Erinnam, Sapphus aequalem, epigrammata aeque bona et egregie se excipientia non fecisse putemus. Crescit autem probabilitas, haec epigrammata unius Erinnae esse, ex ep. 13, quod praeter Leonidam Meleagro tribuitur. Hunc epigrammata Erinnae vidisse probabile est (v. Heckeri l. c. p. 101), unde ortum est ep. 13 »*Βάσκανος ἔσσ᾽, Ἀΐδα*«, a recentioribus poëtis saepius variatum (v. p. 8 s. 5). De ep. 13 cf. p. 36.

Neque illud unum est argumentum Benndorfii, alia quoque affert, quorum concentu optionem non dari admirabili modo contendit. Ex nonnullis enim epigrammatis Erinnam ab Alexandrinis aeque atque Callimachum suis adnumeratum esse apparere dicit. Quod quo melius perspici possit, singulos locos profero: praeter epp. VII 11—13, ex quibus prorsus nihil elucet, ep. IX 190:

*Λέσβιον Ἠρίννης τόδε κηρίον· εἰ δέ τι μικρὸν,*
*ἀλλ᾽ ὅλον ἐκ Μουσέων κιρνάμενον μέλιτι.*
*Οἱ δὲ τριηκόσιοι ταύτης στίχοι ἶσοι Ὁμήρῳ,*
*τῆς καὶ παρθενικῆς ἐννεακαιδεκέτευς,*
*ἣ καὶ ἐπ᾽ ἠλακάτῃ μητρὸς φόβῳ, ἣ καὶ ἐφ᾽ ἱστῷ*
*ἑστήκει, Μουσέων λάτρις ἐφαπτομένη·*
*Σαπφὼ δ᾽ Ἠρίννης ὅσσον μελέεσσιν ἀμείνων,*
*Ἤριννα Σαπφοῦς τόσσον ἐν ἑξαμέτροις.*

et Antiphanis cuiusdam, qui locum habuit in corona Philippica, ep. XI 322:

*Γραμματικῶν περίεργα γένη, ῥιζώρυχα μούσης
ἀλλοτρίης, ἀτυχεῖς σῆτες ἀκανθοβάται,
τῶν μεγάλων κηλῖδες, ἐπ' Ἠρίννῃ δὲ κομῶντες,
πικροὶ καὶ ξηροὶ Καλλιμάχου πρόκυνες,
ποιητῶν λῶβαι, παισὶ σκότος ἀρχομένοισιν,
ἔρροιτ' εὐφώνων λαθροδάκναι κόριες.*

Unusquisque, qui iudicio non praecepto haec epigrammata legerit, Benndorfii explicationem quaesitam esse reperiet. Neque enim aliud quidquam inest in ep. IX 190, nisi Erinnae carmen ab Alexandrinis diligentius lectum esse eamque, id quod mirum non est, cum Sappho esse comparatam. Namque Erinnam, quae virgo undeviginti annorum decedens laudatum illud poëma reliquit, summam gloriam adeptam esse consentaneum est. Atque ep. XI 322, e quo expressum est ep. XI 321 Philippi Thessalonicensis, est mali versificatoris irrisorium in totum genus grammaticorum, qui ut tineae et cimices magno cum studio poëtas arrodant maculentque ac maxime de Erinna virgine gaudeant. An putas Antiphanem dicere velle: grammatici bonos poëtas detrectant, Erinnam tamquam suam efferentes gaudii significandi causa longis cum capillis incedunt (hoc enim significat *κομᾶν*)? Equidem particulam *δέ* hoc loco non adversativam esse, sed progressionem orationis, quae inest in Erinna nominata, significare contendam. Namque optimum quemque poëtam grammatici (*ποιητῶν λῶβαι*) non verbis inquinant, sed magno cum gaudio (*περίεργα γένη*) tractant neque a Callimacho ispo studium suum retinent (cf. ep. 321,4). Haec est mea de hoc epigrammate sententia. Quamquam nonnulli viri docti particulam *δέ* hoc loco adversativam esse atque Erinnam bonis poëtis opponi existiment. Sed, etiamsi hoc statuitur, unde Erinnam Alexandri Magni temporibus vixisse patet?

Propertii porro versus eleg. II 2,21:

et sua cum antiquae committit scripta Corinnae
carminaque Erinnes non putat aequa suis.

in suum commodum explicat: »Erinnam inferiorem habitam

esse non solum virtute Corinnae, sed etiam aetate«. De hac re quid iudicandum sit, quivis intellegat, prasertim cum »Erinnes« conjectura positum sit in versu 22. — Neque verba Plinii n. h. XXXIV 57: Myronem . . . »fecisse et cicadae monumentum ac locustae carminibus suis Erinna significat«, ut Bendorfio suffragemur, adducere possunt, cum plane corrupta sint. Eum ipsum nimirum offendit eiusdem Plinii n. h. XXXIV 50, ubi Naucydem, quem Erinnae statuam fecisse ex Tatiani orat. advers. Graecos p. 130 B ed. Otto scimus, ol. XCV floruisse legimus, sed ne »tam egregius concentus« omnium rerum perturbaretur, Naucydis aetatem longius produxit. Si autem ponimus, ut fieri solet, Naucydem ol. XCV virum fuisse quadraginta annorum, et Erinnam ol. CVI 1 natam ol. CX ita floruisse, ut monumento celebraretur, sequitur, Naucydem tum senem fuisse centum annorum. Talem autem hominem ad statuas faciendas idoneum esse nemo crediderit.

Haec cum Sapphus aetate Erinnam vixisse probent, totam rem primo quidem obtutu in novam dubitationem vocare videntur, quae Suidas scribit tom. I p. 25: *Ἤριννα, Τεΐα ἢ Λεσβία, ὡς δὲ ἄλλοι Τηλία . . . τινὲς δὲ καὶ Ῥοδίαν ἐδόξασαν, ἦν δὲ ἐποποιός· ἔγραψεν Ἠλακάτην· ποίημα δέ ἐστιν αἰολικῇ καὶ δωρίδι διαλεκτῷ, ἐπῶν τ· ἐποίησε δὲ καὶ ἐπιγράμματα* etc. et Stephanus Byz. p. 653, ubi Erinna nominatur Tenia. Hac nominum diversitate maxime Jacobsius propensus factus est ad sententiam eorum, qui duas eiusdem nominis poëtrias fuisse statuunt, alteram vetustiorem, recentiorem alteram. Et profecto res quodammodo obscura est. Sed hac ipsa larga Suidae descriptione efficitur, ut etiam magis ei unam fuisse Erinnam et Sapphus aequalem credamus. Neque, si duae exstitissent Errinnae, plura et manifesta testimonia et poëtarum Alexandrinorum et historiographorum deessent, praesertim cum Erinna, quae *Ἠλακάτην* fecit, tam clara esset, neque Meleager in prooemio summa cum diligentia conscripto hoc tacuisset. Ut autem diversa illa nomina ei adiicerentur, *Τηλία*, quod verum esse nomen dialectus dorica probat, *Τηνία, Τεΐα, Ῥοδία, Λεσβία*

similitudine verborum, propinquitate Teli insulae et Rhodi, amicitia et usu Sapphus in Lesbo, illis temporibus facillime fieri potuisse concedes, si varias illas narrationes de morte Aeschyli, Sophoclis, Euripidis, qui centum annis post floruerunt, comparaveris. Neque vero neglegendum est tacitum Cephalae testimonium. Is initio libri VII, ubi epigrammata in vetustiores poëtas, aetatis scilicet omnino tantum rationem habens, conscribit, tertio loco, post Homerum et Orpheum, ante Sappho, collacat Erinnam.

Haec omnia si reputamus: Eustathii et Suidae imprimis diserta testimonia, tacita Meleagri, Plinii n. h. XXXIV 50, Constantini Cephalae, historiographorum, epigrammatum recte intellectorum, sine ulla dubitatione epp. 710. 712 Erinnae, Sapphus aequali, ascribimus.

Cleobuli Lindii est ep. 153, non Homeri, liquido Simonidis a Diogene Laërtio I 89 prolato testimonio. Ceterum hic *κύκλος* optime in aenigmatum griphorumque auctorem convenit.

Anacreontis epp. exstant 160. 226. 263, quod Benndorfio l. c. p. 31,1 non minus laboris affert, quam eiusdem libri epp. 389. 497. Horum enim initium est *καί*, quod aliter expedire nequit, nisi ut statuat, »particulas indicari maioris quondam complexus cuiusdam aut complurium etiam«. Sed necessarium hoc non est, cum sententia sit optima, si per »quoque« vertimus coniunctionem *καί*, quae ponitur e comparatione similium luctuum, ut e. gr. Aeschylus ep. 255 *Κυανέη καὶ τούσδε* . . . etc. eos respicit, in quos factum est Simonidis ep. 251, quod ille imitatur. Cf. p. 10 et p. 28. Omnia epigrammata Anacreontis Teïa lyra digna sunt.

Pythagorae nomen inscriptum est ep. 746, uni hexametro in Iovem.

[Xenophanis ep. 120 est fragmentum elegiae].

De Simonide Ceo, nato ol. LV 2, ol. LXXVIII 1 mortuus, (v. Jac. cat. poët.) quaestio est difficilis, cum magnus numerus eorum epigramatum, quae in Anthologia Simonidi tribuuntur, veteris poëtae Cei vel temporis ratione esse non possint eius-

demque nominis exstent alter Simonides Ceus, e vetustioris filia (v. Suidae tom. III p. 317) nepos, alter Magnesius, qui Antiochi Magni temporibus vivens res gestas eius et pugnam cum Galatis versibus celebravit; de hoc v. Custer. obss. IV p. 448. Nonnulla tamen ne ab his quidem fieri potuisse docet Jacobsius in cat. poët. Sed singula videamus.

Ep. 20 in Sophoclem a Simonide nostro segregandum esse manifestum est. Neque dubito, quin ascribendum sit Leonidae Tarentino. Etenim verisimillimum est, Cephalam, cum de Alcmane corona Meleagrica inspecta epigrammata in Sophoclem conscribere vellet, antiquissimum librum, quem in manu habebat, primo evolvisse. Quodsi ep. 20 Simonidis esse non potest, alterum autem vel tertium eiusdem nominis poëtam in corona Meleagrica locum non habuisse pro certo habendum est, nemo vituperet coniecturam, epigramma esse eiusdem coronae Leonidae, cuius nomen cum Simonide facillime confundi potuit quoque eiusmodi lusus dignissimus est.

Epp. 24. 25 in Anacreontem viris doctis multum molestiae pepererunt. Jacobsius quidem in ind. poët. ea omisit, Schneidewinus in Simonidis Cei rell. p. 165 ep. 25 solum inter Simonidea recepit, quod Bergkius l. c. p. 1186 a Simonide abiudicat, certam causam nullo verbo indicans. Quem secutus Benndorfius l. c. p. 11 sq. argumenta affert, quae mihi quidem non probantur: »Ita enim nobilium virorum manes celebrare, ut fabuloso ornatu induti heroum instar prodeant, sola posteritas solet, non solent aequales, quos recens dolor atque quam ipsi viderunt veritas retinet, quominus ad hilariorem et liberiorem laudis conformationem perveniant. Simonides certe non potuit in inscriptione funebri Anacreontis illum — postmodoquam decantatum — in pueros amorem commemorare. Neque Simonide digna, ut alia taceam, inconcinna illa tam membrorum, quam notionum elocutio, quae spectatur in verbis: *βαρύνεται οὐχ-ἀλλ' ὅτι-λέλοιπε*«. Sed Benndorfius de ingeniis poëtarum non prorus recte iudicasse videtur. Neque vero Graecos amorem in pueros pro vitio habuisse, e. gr. e verbis Theognidis Bergk. l. c. p. 565:

*Παιδός τοι χάρις ἐστί, γυναικὶ δὲ πιστὸς ἑταῖρος*
*οὐδείς, ἀλλ' ἀεὶ τὸν παρεόντα φιλεῖ.*

In verbis autem: *μοῦνος — βαρύνεται, οὐχ ὅτι —, ἀλλ' ὅτι* (sic!) »quae cum epigrammatis K. 116,5 mira attractione: *τεθνειὼς δ' οὐκ οἷος ὀδύρομαι, ἀλλ' ὅτι* nullo modo comparari debent, nihil inconcinni est. Namque propter anaphoram hoc epigramma a Simonide, qui Bergk. l. c. p. 1154 ep. 107 quoque ea utitur, abiudicandum non esse, ex eis, quae p. 16 sqq. de hac re demonstravimus, patet. Neque de uno lemmate his duobus epigrammatis luditur, sed ut Erinna Baucidi, ita Simonides Anacreonti duo epigrammata dedicat, quorum ep. 25 ab ep. 24 excipitur. Atque dignissima haec esse Simonide, concedes, si epp. 21. 22 Simmiae in Sophoclem et epp. 440. 648 Leonidae Tarentini in Aristocratem quendam, quae aeque se excipientia epp. 24. 25 male imitantur, comparaveris. Sunt quidem, qui Simonidem breviora tantum epigrammata fecisse dicant. Id autem falsum praeiudicium est eorum, qui artem poëticam certis atque pravis regulis (cf. p. 7 s. 1) metiantur. Namque aliud est de tropaeis Marathoniis, Thermopylensibus epigrammata facere, aliud de poëtis vino et amore delectatis. Itaque mea quidem sententia probabilitata non caret, Simonidem, id quod facile fieri potuit, amici sepulcrum visentem ad hos versus faciendos adductum esse. Bergkium autem, qui haec duo epigrammata Leonidae esse vult, »quem in hac quoque re secutus est Antipater Sidonius«, fugit, eundum Antipatrum imitatum esse Simonidem epp. 161. 241. 426 (v. p. 12).

Eiusdem sunt epp. 77. 177. 248—251: in his conspicitur simplicitas illa et gravitas, quae commoda erat magnitudini rerum et temporum. Quattuor versus, quos schol. Aristidis post *ῥυσάμενοι* epigrammati 250 adiungit (cf. adnot. Duebn.), cum nullo alio loco commemorentur neque poëta Ceo digni sint, secernendi sunt a veris Simonidis epigrammatis. Ep. 251, in Plaunde *ἄδηλον*, haud dubie secundum Anthologiae auctoritatem Simonidi tribuendum est, cum ep. 255 Aeschyli aperte ex eo expressum sit (v. p. 10).

Epp. 253. 254* eiusdem Simonidis sunt. Ep. 254, quod cum Jacobsio et Schneidewino a Simonide abiudico, inter *ἀδέσποτα* cor. Mel. ponendum est. Sed minus probabile est, quod Schneidewinus profert, fortasse in equites *περὶ τοὺς Ῥείτους* (v. Thucyd. II 19) interfectos epigramma factum esse. Mihi quidem in eos potius esse videtur, qui *ἐν Φρυγίοις* (v. Thucyd. II 22) mortui sunt. Aliquid similitudinis habet ep. 301 Simonidis, quod non casu factum esse videtur.

Comparanda sunt epp. 258. 296. 443. Ep. 296 lemma habet: *Σ. τ. Κηΐου, εἰς τοὺς μετὰ Κίμωνος στρατευομένους ἐν Κύπρῳ Ἀθηναίους, ὅτε τὰς ρ' ναῦς τῶν Φοινίκων ἔλαβεν.* Sed suo iure Kruegerus »Hist. Stud.« p. 52. 64 sq. hoc epigramma a Simonide in milites ad Eurymedontem caesos scriptum esse statuit. Restant epp. 258. 443, quae in eosdem facta esse lemmata volunt. Schneidewinus, antequam Kruegeri iudicium (v. l. c. p. 52), pugnam ad Eurymedontem fuisse ol. LXXVII 3, innotuit, propter temporis rationem Simonidis ea esse negavit. Sed hac difficultate sublata aliae viris doctis occurrerunt. Kruegerus enim de ep. 258 l. c. p. 67 dicit: »Aber ein so inhalt- und farbloses, bloss beiwörtelndes gedicht, dürfte weder des Simonides noch dieses zeitalters würdig sein« et Heckerus l. c. p. 226 de ep. 443 profert, in toto carmine esse nullum iudicium, quo lemma stabiliri possit, quamquam rejiciendum sit Schneideri iudicium, qui hoc epigramma pro inepti sophistae foetu habeat. Sed eiusmodi dictiones Homericae, quas Kruegerus vituperat, in compluribus Simonidis epigrammatis (cf. p. 16) inveniuntur et Heckeri sententiae, cui prorsus assentior, adiungendum est, ep. 413,3. 4 et ep. 30,3. 4 acumina simillima esse et complura monumenta in eosdem posita esse ep. 443,3 »*μνημεῖα*« probare. Quare non est, cur utrumque epigramma abiudicemus a Simonide, quem, cum ad Eurymedontem pugnaretur, aetate provectum fuisse neglegendum non est.

Epigrammatis 344 prius distichon per se consummatissimum esse recte monuit Schneidewinus l. c. p. 441, sed alterum distichon adiungendum esse (v. adnot. Duebn.) et coniunctio

et sententia statuere cogit. Cf. de eius vi p. 9. De ep. 345 v. p. 32 s. Aeschrione.

Sequuntur epp. 347. 348. Hoc a Bergkio l. c. p. 1180 inter *παίγνια* positum est. Sed, cur »*παῖζον ἐπιτύμβιον*« removendum sit a sepulcralibus epigrammatis, non video.

Ep. 431, in Anthol. Pal. *ἄδηλον. οἱ δε σιμωνι* [δ] . . etc., in Plan. *ἄδηλον*, Simonidis esse Schneidewinus negat, Bergkius Leonidae id esse conjicit, »quem verisimile est celebre hoc argumentum tractavisse«, Heckerus l. c. p. 103 Dioscoridi tribuit, cuius est praecedens epigramma. Sed Bergkii argumentum in lemmate tam incerto liberius est neque dubito, quin illa ratione procul a veritate aberremus, neque Heckeri sententia habet aliquid probabilitatis. Hoc tantum statuere possumus, Alexandrini cuiusdam poëtae esse hoc epigramma coronae Meleagricae, qui de hoc noto lemmate lusit, Simonidem verbis illis: *Θυρέα, Ζεῦ, Λακεδαιμονίων* et *Σπάρτᾳ δ' οὐ τὸ θανεῖν, ἀλλὰ φυγεῖν θάνατος*, quibuscum compares ep. 251,3, imitans. Sed hac ipsa imitatione factum esse videtur, ut hoc epigramma aut ab auctore ipso aut ab alio quodam insigni Simonidi ascriberetur. Quare ep. 431 inter *ἀδέσποτα* cor. Mel. ponendum est.

De epp. 442. 443. 507—516. 677 nihil est memorandum. De ep. 496 viri docti valde dubitant et Heckerum (v. adnot. Duebn.) maxime movet, quod Callimachi ep. 271, quod certe ad hoc epigramma referendum est, dulcissimum Ceum vatem elegantia superaverit quodque pluralis *τάφοι* haud dubie recentioris usus sit et invocatio rupium et montium ignotorum a Simonide aliena unice propria videatur Alexandrinis poëtis horumque principi Callimacho. Sed poëta ep. 496, cui rupes illas et montes notissma fuisse negare non possumus cuique illic scopuli periculosi, illic tumulus mortui inter sepulcra ibidem naufragorum obversabantur, miserabilem rerum statum simpliciter et graviter, non vituperanda arte, expressit, poëta autem ep. 271 illic naves periculosum mare cursu tentantes, illic viatores cenotaphium praetereuntes in animo habebat atque motum vel mutationem

rerum expressit. Itaque utrumque epigramma suo modo perfectum est neque dubitare debemus, illud principi Ceo, hoc Callimacho, Alexandrino imitatori, tribuere.

Ep. 507 in cor. Mel. scriptum fuisse, quale legimus in Anthologia Palatina, elementaris ordo epp. 507—513 fidem facit, atque eandem ob causam lemmati Cephalae maior vis tribuenda est, quam Planudi, qui primum tantum distichon habet, inscriptum Alexandri. Itaque ep. 507 sine ulla dubitatione ascribendum est Simonidi, cuius et plures aliae sententiae et ep. 507,3.4 et ep. 508,4 notissimae factae sint (cf. p. 8 sq.).

Ep. 647, inscriptum *Σιμωνίδου, οἱ δὲ Σιμμίου* a viris doctis praeter Schneidewinum Simmiae tribuitur, qui peculiare carmen, cui *Γοργώ* nomen fuit, scripserit. Sed hanc ipsam ob causam fieri potuit, ut hoc epigramma Simmiae immerito ascriberetur, in quo idem ingenium spectatur, quod inest in ep. 513. Neque probanda est sententia Bergkii l. c. p. 1157, qui, cum dubitet, num Simonidis aetate eiusmodi anaglypha, quae in monumento sepulcrali fuisse statuendum sit, oriri potuerint, Simmiae id tribuit. Simile quidem ep. 513, inscriptum *τοῦ αὐτοῦ* — antecedunt Simonidis epigrammata — aliquo modo nimirum eum movet, sed hoc recentiori poëtae tribuit, argumentans: »nam fortasse in Anth. Pal. excidit alius recentioris poëtae epigramma, ut iam huic ignoto poëtae tribuenda sint epp. Anth. Pal. VII 513—516 — quamquam hoc novissimum epigramma Simonidi videtur vulgo ascriptum fuisse«. Unusquisque autem, qui compositionem Anthol. Pal. c. VII perspexerit, hanc coniecturam rejiciet. Etenim Cephalam hoc loco epigrammata Simonidis et Callimachi, insignis poëtae antiqui et Alexandrini, consulto et summa cum diligentia e corona Mel. collegisse et magnus numerus eorum et ordo elementaris docet. Huc accedit, quod similitudo sententiarum non modo in epp. 513 et 647, sed etiam in epp. 300 et 443, 507 et 508 reperitur atque codex epp. 514. 515 diserte Simonidi tribuit. Itaque nullo modo probabile est, unum recentioris poëtae epigramma inter epigrammata Simonidea positum esse. Saeculo autem quinto talia anaglypha, qualia

Bergkius desiderat, in monumentis locupletiorum praecipue civium hic illic fuisse neque per se mirum est et epigrammate K. 21 probatur. Quare et ep. 513 et simillimum ep. 647 eidem Simonidi ascribere non dubito.

His addo cum Schneidewino et Bergkio ep. 257. Namque nihil est, cur id a Simonide abiudicemus, cui tribuit schol. Aristidis, apud quem bis exstat, tom. III ed. Dind. p. 136 et 155, quia et Ceum ingenium spirat et in parte cor. Mel. inest.

De ep. 187 v. p. 50 s. Philippo.

A e s c h y l i est ep. 255, quod epigramma esse in viros ad Ossam mortuos, ex imitatione ep. 251, de qua v. p. 10, manifestum est.

J o n i s ep. 43 esse non potest (v. adnot. Duebn.), quod inter *ἀδέσποτα* ponendum est.

T h u c y d i d i s est ep. 45 in Euripidem, de quo v. p. 8 s. 7.

H e g e s i p p i, qui his temporibus tribuendus esse videtur (v. Jac. cat. poët. p. 901), sunt epp. 276. 446. 545. Ep. 320 non Callimachi esse (v. adnot. Duebn.) sed Hegesippi, docet imitatio ep. 316 Leonidae aut Antipatri, de qua v. p. 11 s. Leonida Tar., cui id tribui p. 35.

P l a t o n i philosopho tribuo epp. 99. 256. 259. 265. 268. 269. 669. 670. Ep. 100 est amatorium. Ep. 35 haud dubie Leonidae est, cui a Planude quoque tribuitur, id quod Benndorfium l. c. p. 22 fugisse videtur.

C h a e r e m o n i s sunt epp. 469. 720. 721.

A e s c h r i o n i S a m i o iambographo teste Athenaeo VIII p. 335 C. D. tribuendum est ep. 345.

C r a t e t i s T h e b a n i est ep. 326, ad antecedens consulto appositum.

S i m m i a e T h e b a n i inscribuntur epp. 21. 22 (*τοῦ αὐτοῦ*), cum ep. VI 113 Simmiae grammatico tribuatur. Itaque Weigandius duos Simmias in corona Mel. fuisse statuit. Sed unus tantum commemoratur in prooemio Meleagri, quod certissimum testimonium est, duos eiusdem nominis poëtas in corona Mel. non fuisse. Simmiam autem grammaticum Rhodi fuisse et carmina fecisse

constat (v. Jac. cat. poët. p. 952), cum nullum alium Simmiam, qui arti poeticae studuerit, cognoverimus. Neque multo maiorem vim habet lemma ep. 21, quam ep. VII 492: *Νοσσίδος Λεσβίας* et ep. IX 332: *Ἀνύτης Μιτυληναίας*. Quare omnia egigrammata, quae inscribuntur Simmiae quaeque omnia ad unum in partibus cor. Mel. insunt, uni Simmiae grammatico, qui fortasse Thebis natus Rhodi aliquamdiu versatus est, ascribenda sunt. Epp. 21. 22, epp. 24. 25 Simonidis (cf. p. 9 et 27) imitantia, conveniunt cum Alexandrino. Ep. 60 in Platonem certo auctori tribui non potest (cf. Bergk. l. c. p. 630). Ep. 193. 203 in animalia (cf. p. 15 extr.) ut lusus aevi Alexandrini Simmiae Rhodio tribuenda esse planum est. Ep. 647 p. 30 Simonidi tribui.

Nossidis sunt epp. 414. 718, utrumque in parte cor. Mel.

Menandri comici est ep. 72 in Themistoclem et Epicurum.

Anytae tribuendum esse ep. 190, inscriptum: *Ἀνύτης, οἱ δὲ Λεωνίδου*, vel corrupta Plinii n. h. XXXIV 19,3: »Myronem ... fecisse et cicadae monumentum ac locustae, carminibus suis Erinna significavit« probatur, ubi poëtriarum nomina confusa esse mirandum non sit. Eiusdem sunt epp. 202. 208. 215. 486. 490: a Jacobsio in ind. poët. omissum. 492: per errorem a librario inscriptum: *Ἀ. Μιτυληναίας*, cum unam tantum fuisse Anytam Tegeatidem in corona Meleagri ex prooemio eius et Antipatri Thessalonicensis canone poëtarum IX 26 satis pateat. 538. 646. 649. 724. Planudem, qui etiam epp. 189. 232. 236 Anytae tribuit, in primo epigrammate argumenti ep. 190, in ceteris nominum similitudo fefellisse videtur.

Timoni Phliasio sceptico tribuo ep. 313. De eo viri docti ad hoc tempus non cogitarunt, quamquam Timonis misanthropi id esse suo iure negarunt. Sed in Anthologia alterum exstat ep. XI 296, item inscriptum Timonis. Quod ex Diog. Laërt. VII 170 desumptum recte ascribitur Timoni sceptico, cuius sunt *Σίλλοι* illi, hexametri irrisorii. Atque hoc sceptico sillographo hexametrorum cum ep. XI 296, tum ep. VII 313 dignissima sunt, quorum utrumque duos hexametros complectitur. Obstant sane aliquo modo, quae Plutarchus Anton. c. 70 de ep. VII 313

dicit: καὶ τοῦτο μὲν αὐτὸν ἔτι ζῶντα πεποιηκέναι λέγουσι. Sed si ponimus, quod verisimillimum est, Plutarchum legisse hoc epigramma, inscriptum tantum Timonis, facile fieri potuit, ut eundem, in quem erat factum, auctorem esse putaret, quia mortuus ipse loquitur: Ἐνθάδ᾽ . . . κεῖμαι etc. Quare hoc epigramma Timoni sceptico ascribere nullus dubito.

Asclepiadis Samii, quem Sicelidem Meleager in prooemio nominat, omnia esse epigrammata, quae Asclepiadis nomen habent: 11. 145. 217. 284. 500 ex compositione Anthologiae patet. Quod egregie convenit cum eo, quod Weigandius dicit l. c. p. 174: »Huic omnia epp. in Anthol. Cephal. danda esse censeo, cum Asclepiades Adramyttenus tantum in Musa Stratonis XII 36 exstet.« Ep. 145 quidem in Aristotelis Peplo quoque exstat (cf. Bergk. l. c. p. 651), sed, cum cetera epigrammata, quae Aristoteli tribuuntur, unum tantum distichon habeant, codicis auctoritatem sequi debemus. Ex imitatione epigrammatis Mnasalcae ab Athenaeo IV p. 163 A prolati (cf. p. 10) nihil certi concludi potest. Ep. 217 ab Athenaeo et Diogene Laërtio Platoni philosopho tribuitur, sed Cephalae, quem hoc loco coronam Mel. accuratius inspexisse e compositione patet, et Planudis auctoritas tanta est, ut Asclepiadi Alexandrino, qui talia argumenta valde amasse videtur, id tribuere non dubitem. Neque vero verba: δι᾽ ὅσης ἤλθετε πυρκαϊῆς! Platonis esse probabile est. Ceterum non est, cur hoc epigramma a sepulcralibus removeatur. Cf. p. 15 extr.

Mnasalcas Sicyonius fecit epp. 54. 171. 192. 194. 212. 242. 488. 491.

De Theodorida Syracusano v. Jac. cat. poët. p. 959 et Meinekii anal. Alex. p. 18. Eius sunt epp. 282 (cf. p. 40 s. Antip. Sid.). 406. 439. 479. 527—529. 722. 732. 738, omnia in partibus cor. Mel.

Niciae Milesii est ep. 200.

Theocriti Syracusani est ep. 262. Epigrammatum 658. 659 lemma (v. adnot. Duebn.) incertum est neque ex epigrammatis ipsis quidquam certi concludi potest. Sed, si compositionem

libri VII et ordines elementares atque librarii perturbationem (cf. p. 5) respicimus, non est, cur dubitemus, haec epigrammata eidem Leonidae noto tribuere, cuius epigrammata sub finem huius libri Cephalas aeque ut Simonidis et Callimachi (cf. p 31) epigrammata diligentius collegerit. Ut autem hoc incertum lemma oreretur, eadem voce epigrammatis 660,1 »Συρακόσιος« factum videtur, qua Planudes, ut hoc epigramma Theocrito ascriberet, haud dubie adductus est. Eidem addendum est primum distichon ep. 534, quod a Planude Theocrito tribuitur (v. p. 36 sq. s. Alex. Aet.).

De Leonida Tarentino, cuius nonnulla epigrammata, cognomine omisso, a Leonida Alexandrino (v. p. 48) haud facile discernas, quam difficilis Jacobsio visa sit quaestio, ex cat. poët. p. 859, ubi de Archia disserit, patet. Ibi enim dicit vir doctissimus: »Quotenim sunt Antipatrorum epigrammata, quae utri ascribi debeant, gentili omisso, ignoremus? quot Leonidarum?« Sed cum e prooemio Mel. Leonidam Tarentinum in corona eius fuisse sciamus et ex compositione libri VII et epigrammatis ipsis nonnulla argumenta reppererimus, non est cur desperemus. Neque vero omnia Leonidarum epigrammata gentili nomine carent. Eo addito Tarentino tribuenda sunt epp. 198. 295. 422. 440. 448. 449: a Jacobsio in ind. poët., ut videtur, consulto omissum, a Duebnero cancellis circumdatum est; sed cum in codice hoc tetrastichon cum antecedente cohaereat atque idem ingenium spiret, non est cur a Leonida idem lemma saepius tractante abiudicemus, quamquam id quod voluit Heckerus l. c. p. 101, utrum in eodem cippo ea scipta fuerint necne, diiudicare non possumus. 648. 652. 654—657. 660 (v. supra s. Theocrito). 661. 715. 719. 736.

Ex eis porro, quae nudum Leonidae nomen habent, Tarentino tribuenda sunt haec:

19. 35, quod bona neque ἰσόψηφα sunt cumque epigrammata cor. Mel. in propinquitate sint.

67: Exstat elementaris ordo epp. 63—68, sed, utrum ex

Meleagri an Philippi corona decerpta sint, in obscuro esset, nisi epp. 65 Antipatri et 68 Archiae expressa essent e pulchro epigrammate 67 Leonidae (cf. de imitt. p. 10). Unde ep. 67 esse Leonidae Tarentini, quem multi poëtae imitati sunt cuiusque epigrammata 163. 455 epigrammatis 164. 353 expressit Antipater Sidonius, totamque seriem epigrammatum e corona Meleagrica desumptam esse manifestum est.

163, quod in parte cor. Mel. est.

264. 266. 273. 283 propter initialium litterarum ordinem. 316, et codicis et Planudis auctoritate Leonidae ascriptum. Quod cur Brunckius Alexandrino tribuerit, causam video nullam. Namque supputatione habita hoc *ἰσόψηφον* non esse repperi, neque, si circumstantia epigrammata et ordinem elementarem respicimus, quin Leonidae Tarentini sit, dubitandum sit. Huius autem haud dubie id esse neque Antipatri aut Leonidae Alexandrini esse posse, docet imitatio Callimachi epigrammatis 318, de qua v. p. 11.

408 ex libri compositione. Huc accedit, quod carmen est bonum et Philippus ep. 405 id imitatus sit. 452. 455, e quo expressum est ep. 353 Antip. Sid. (cf. p. 11). 463. 466, quod in partibus cor. Mel. insunt.

472. 472*. Verisimillimum est (v. Jac. not. crit. p. 340 sq.), ep. 472* versui sexto ep. 472 adiunctum, ut in codice scriptum est, alterum epigramma, alterum eiusdem cippi fuisse sequentes versus: »*Ἐκ τοίης* . . .« Librarius autem qui scripsit: *ὑπέρβα τοὺς δύο στίχους καὶ τότε σύναψον τοὺς λοιποὺς τοῦ ἐπιγρ. ἐκ τοίης·* et Jacobsius et Duebnerus neglexisse videntur, Phidonem ipsum de infirmitate et brevitate vitae ad praetereuntes versum loqui.

478. 480. 503. 504. 506. 662—665. 715. 726. 731. 740. Ubique fere ordo elementaris conspicitur.

Ep. 13 inscriptum est: *Λεωνίδου, οἱ δὲ Μελεάγρου*. Heckerus autem l. c. p. 101 Meleagri id esse vult, qui epp. 710. 712 Erinnae in Baucidem, unde ortum est v. 4: »*Βάσκανος ἔσσ', Ἀίδα*«, descripsisse videatur. Ac si respicimus in eiusdem Meleagri epp. 182. 468 idem acumen reperiri (cf. p. 8 s. 5), ep.

182,5—8 ex ep. 712,5—8 Erinnae aperte expressum esse, illi suffragari debemus.

Ep. 173 p. 37 Diotimo ascribam; ep. 190 p. 32 Anytae tribui; de ep. 187 v. p. 50 s. Philippo.

Epp. 658. 659 p. 34 Leonidae Tarentino vindicavi. Eidem addo ep. 20, de quo v. p. 26.

Alexandro Aetolo ep. 709, inscriptum Alexandri, tribuere nullus dubito. Id enim est inter epigrammata cor. Mel. atque etiam in initialium litterarum ordine. Unde manifestum est, epigramma esse eiusdem Alexandri, cuius carmina in coronam suam se inseruisse Meleager in prooemio dicit. Sed quis Alexander ille fuerit, viri docti dissentiunt. Weigandius quidem l. l. p. 173 id Alexandro Magneti cuidam tribuit, cuius sit ep. VI 182, cum Alexander Aetolus in Planudis tantum Anthologia inveniatur. Ac maxime eam ob causam hoc iudicasse videtur, quod Meleager in prooemio Alexandri epigrammata nominaverit »*νέους ὄρπηκας ἐλαίης*«. Sed Aetoli quoque epigrammata ita nominare licuit, paesertim cum Archilochi antiqui epigrammatum antea mentionem fecisset. Huc accedit quod de Magnete poëta eius nominis aliunde nihil constat atque ep. VI 182 in codice inscriptum est: *ἀλεξᾶδρου μαγνήτου* (sic!). Quapropter librario illi minime fides habenda est. Sed Planudes diserte tribuit Alexandro Aetolo ep. 172 app., cuius argumentum et metrum simile est ep. VI 182. Praeterea in hoc carmine nullum est indicium, cur Alexandro Aetolo ascribere non debeamus atque Meinekii argumentatio de codicis »*ἰδρίτα*« in anal. Alex. p. 236 certissima emendatione »*ἴδρι τὰ καί*«, quam iam ab Heckero l. c. p. 236 prolatum et a Duebnero receptum esse video, prorsus evanescit.

Addo ep. 534, inscriptum: *Αἰτωλοῦ Αὐτομέδοντος*.

Namque ex comparatione antecedentis epigrammatis suspecti cognominis Andrii — omnia alia Dionysii epigrammata, de quibus aliquid certi statui potest, in partibus coronae Mel. insunt (cf. p. 41 sq.) — pro certo habendum est, quod Jacobsius proposuit, fortasse scribendum esse: *Ἀλεξάνδρου Αἰτωλοῦ ἢ*

*Αὐτομέδοντος*, atque, quia est in elem. ordine cor. Mel., sine ulla dubitatione tribuendum est Alexandro Aetolo, quem primum distichon Theocriti (v. p. 34) citasse mirandum non est. De ep. 507 v. p. 30.

Euphorionis est ep. 651.

Callimacho tribuenda sunt epp. 80. 271. 272. 277. 317. 318 (in Jac. ind. poët. per errorem scriptum est 317—319). 415, quod non Callimachi, sed incerti auctoris esse Weigandius l. l. p. 565 non bene statuit, cum codicis testimonio sit carmen Callimachi in se ipsum. 447. 451. 453. 454. 458—460. 471. 517—525. 725. 728. De ep. 89 nihil certi statui potest neque epp. 320 (quod ep. 318 expressum est ex ep. 316 Leonidae aut Antipatri, referendo ad ep. 320, in codice Hegesippo tributum). 344. 416 Callimacho vindicari possunt. De ep. 170 v. infra s. Posidippo, de ep. 729 v. p. 41 s. Tymne.

Antagorae Rhodii esse ep. 103 Diog. Laërt. IV 21 testatur.

Posidippi nomen inscriptum est ep. 170, cum idem epigramma exstet in codice post ep. 481, ubi Callimacho tribuitur. Atque hoc quidem constat, carmen post ep. 481 argumenti causa positum esse, sed neque hoc neque Planudis auctoritas, qui id fortasse ex lemmate ep. 170 Posidippo ascripsit, ad rem discernendam quidquam valet. Quare ep. 170 inter *ἀδέσποτα* cor. Mel. ponendum est. Posidippi est ep. 267.

Diotimum Atheniensem, Diopeithis filium, in cor. Mel. fuisse ex ep. 420, Milesium in Philippica ex ep. V 106 apparet. Itaque vestigia coronae Mel. sequentes Atheniensi tribuimus epp. 227. 261. 420. 475. 783. Ep. 173 cum Weigandio ascribo Diotimo — quod in codice inscriptum quidem est: »διοτιμ$^{υ}$ οἱ δὲ λεωνι$^{δ}$«, sed similitudine verborum facile fieri potuit, ut nomen notissimum pro minus noto poneretur — sed propter elem. ordinem Diotimo Milesio, quem sub Augusto fere vixisse inde patet, quod ep. 174 Erycii expressum est ex ep. 173.

Phaedimi Byzantii est ep. 739.

Nicenaeto Samio tribuitur ep. 502.

Alcaei Messenii sunt epp. 1. 412. 495. Ep. 247 nudum Alcaei nomen habet, sed, cum in parte coronae Mel. sit, id Messenii esse manifestum est. Atque eidem Alcaeo ascribenda sunt epp. 429. 536 (quod nudum Alcaei nomen habere per errorem accipit Weigandius l. c. p. 171), quae in codice tribuuntur Alcaeo Mitylenaeo. Etenim utrobique ordo elementaris conspicitur coronae Meleagri. In ea si Mitylenaeus locum habuisset, Meleager in prooemio non tacuisset. Haec autem cognomina confusa esse, ut Jacobsius in cat. poët. p. 838 rectissime statuit, lemma ep. 55, quod eidem Alcaeo Messenio tribuere non dubito: »*εἰς τὸν αὐτὸν Ἀλκαίου, ποιητοῦ Μιτυληναίου ἢ Μεσσηνίου*« egregie docet. Erat enim notissimum nomen Mitylenaei neque mirandum est, notissimum cognomen pro minus noto positum esse. Ac si respexeris, ep. 536 expessum esse ex ep. 408 Leonidae (Tar.), non dubitabis, Alcaeo Messenio et hoc epigramma, quod Alexandrino modo usitatum lemma tractat, et ep. 429, quod item Alexandrinorum modo aenigma explicat (cf. p. 9 s. 10), tribuere. Ep. 5, inscriptum: »*ἄδηλον, οἱ δέ φασιν Ἀλκαίου Μιτυληναίου*«, cum Planude inter *ἀδέσποτα* pono. Id cur Weigandius l. l. p. 170 sine ulla dubitatione Alcaeo Mitylenaeo tribuerit, non intellego, quia eiusmodi lusus recentiorum temporum est.

Dioscoridi epp. 31. 37. 76. 162. 229 (cf. simile ep. 434). 351. (407 ex epp. sepulcralibus removendum est, ut Heckerus l. c. p. 185 recte statuit) 410. 411. 430. 434 (hoc et sequens in Jac. ind. poët. omissa sunt). 450. 456. 484. 485. 707. 708 ascribere non est cur dubitemus. Ep. 31 enim nomen Meleagri (v. adnot. Duebn.) eodem modo adeptum esse videtur, quo epigrammati 237 Philippi nomen additum esse puto (v. p. 46 sq. s. Alphaeo Mityl.).

Ep. 166 inscriptum est: »*Διοσκορίδου, οἱ δὲ Νικάρχου*«. Sed magni momenti est, quod Jacobsius cat. poët. p. 887 dicit: »Alexandriae eum vixisse crebra nos Nili et rerum Aegyptiarum commemoratio dubitare non patitur«. Quodsi respicimus epp. VII 76. 708. IX 568, omnia Dioscoridis in partibus coronae

Mel., ep. 166 eiusdem Dioscoridis esse nemo negaverit. Huic ep. 167 quoque adiungendum est, praesertim cum Planudes plane omiserit *οἱ δὲ Ἑκαταίου Θασίου.* Neque ep. 178 segregandum est a Dioscoride Meleagrico, quamquam aliquo modo offenderit cognomen *Νικοπολίτου*, de quo certi quidquam statui non potest. At Benndorfius l. c. p. 46 dicit: »Alius est Nicopolita, cuius VII, 178 exstat indefinito loco inter partes coronae Philippi.« Secutus enim est sententiam Schneideri (v. Jac. cat. poët. p. 887), qui, cum utraque Nicopolis, et Epirotica et quae in Armenia a Pompeio sit condita, recentior sit, quam ut Dioscorides Meleagri ibi natus esse potuerit, duos Dioscorides secernendos esse monuit. At hic unus est locus, ubi Dioscorides Nicopolita nominatur, atque tali cognomini in lemmate semel scripto paene nullam vim tribuendam esse concedes. Neque vero e magno illo numero epigrammatum, quae Dioscoridis nomen habent, unum a poëta Meleagrico abiudicare possis, cum praeter tria quattuorve omnia in partibus coronae Meleagri exstent. Huc accedit, quod gravissimum est, quod ep. 178 in parte coronae Meleagri, non Philippi esse compositione epigrammatum probatur. Epp. 170—180 sunt in homines obscuros, ac primo quidem Cephalas in manu habuit coronam Meleagri et hoc modo epigrammata conscripsisse videtur, ut e corona Mel. desumeret epp. 170—173; huic pulchro carmini postquam adiunxit simillimum (cf. p. 14 extr.) ex corona Philippi ep. 174 cum epp. 175. 176 earundem litterarum initialium, rediit ad coronam Meleagri. Quibus de causis non est, cur ep. 178 a Dioscoride, poëta Meleagrico, abiudicemus. De ep. 352 v. p. 44 sq. s. Meleagro.

Damageti epp. 9. 231. 355. 432. 438. 497. 540. 541. 735 omnia ad unum in partibus cor. Mel., pleraque in initialium litterarum ordinibus sunt. Ep. 10, inscriptum *ἄδηλον*, Callimacho tribui non potest nec scio, an longius progressus sit Jacobsius, qui pro *ἄδηλον* scripsit *ἄλλο.*

Polystrati est ep. 297.

Nicandro Colophonio tribuitur ep. 526, quod est in parte

cor. Mel. Itaque ep. 435, quod in ordine elem. eiusdem coronae legitur, eidem poëtae Colophonio ascribendum est.

Zenodoti Stoici est ep. 117 diserto Diog. Laërt. VII 29 testimonio. De ep. 315 autem, inscripto: »*Ζηνοδότου, οἱ δὲ Ῥιανοῦ*«, res obsura est. Hoc quidem statuere possumus, ep. 315 expressum esse ex ep. 320 Hegesippi et epp. 313—317 inesse in elem. ordine cor. Mel., sed. utrum ep. 315 sit Rhiani, an »*ἔργος νεόγραφον*« Zenodoti Stoici, diiudicare non possumus, ita ut Planudes nullum nomen inscriberet. Quare inter *ἀδέσποτα* cor Mel. ponendum est.

Antipatri Sidonii sunt epp. 2. 6. 8. 14. 23. 26. 27. 29. 30. 34. 81. 146. 161. 164. 172. 218 (quod fugit Jacobsium in ind. poët.). 241. 246. 303. 353. 423--426. 745. (748 e sepulcralibus removendum est). Ep. 165, tam simile praecedenti ep. 164, ut Reiskius consulto id omiserit, inscriptum est: »*Ἀντιπάτρου Σιδωνίου, οἱ δὲ Ἀρχίου*«. Sed lusui eiusdem Antipatri ascribendum est, qui priores poëtas ac maxime Simonidem et Leonidam Tarentinum imitatus sit et persaepe expilaverit (cf. p. 11 sq.). Ep. 625 in Diodorum Olynthium Antipatri Thessalonicensis esse ex elem. ordine epp. 622—645 et argumento certum est. Contra epp. 409. 413. 493 in codice Thessalonicensi tributa Sidonio ascribenda sunt, de quibus v. p. 45.

Ex eis epigrammatis, quae nudum Antipatri nomen habent, Sidonio ascribo epp. 65, quod est in ordine elem. cor. Mel. 63—68, 209. 210. 232. 252. (de ep. 316 v. p. 35) 427. 464. 467 (omissum in Jac. ind. poët.) 498. 711. Ep. 713 non sepulcrale esse, sed scriptum, ut codicis titulus esset, monet Heckerus l. c. p. 187. Ep. 75 incertum est. Planudes etiam epp. 282. 470 Antipatro tribuit, sed, cum in utriusque vicinitate epigrammata Antipatri essent, ita ut Planudes nomina facillime posset mutare, disertum codicis testimonium sequentes hoc Meleagro, illud Theodoridae ascribere debemus.

Ep. 136 tam simile est epigrammati 236 Antipatri haud dubie Thessalonicensis (v. p. 12), ut utrumque eidem Thessalonicensi tribuendum sit.

Inter Antipatri Sidonii et Melagri epigrammata poëtae ignoti et epigrammata anonyma ponenda sunt, quae ante Meleagri coronam exstitisse aut e Meleagri prooemio aut compositione Anthologiae aut epigrammatis ipsis constat. Ac primum quidem poëtas afferam, quos Meleager in prooemio nominat, tum quos Passowius et Weigandius coronae Meleagri vindicant, deinde quos ipse addo.

1.

Phaniae est ep. 537; de hoc nihil constat, nisi inter Epicurum et Meleagrum eum vixisse.

Phaenni sunt epp. 197. 437.

Persae inscribuntur epp. 445 (Thebani). 487 (Macedonis). 501. 539 (poëtae). 730. Haec omnia in partibus coronae Meleagri insunt atque eidem Persae tribuenda sunt, de cuius cognomine nihil certi statui potest, quamquam suspicor, Thebanum esse poëtam; lemma enim ep. 487 fortasse errore librarii ortum est, qui Persen poëtam cum Perseo, rege Macedonum, confuderit.

Pancratis est ep. 653, Pamphili 201; Tymnae sunt epp. 199. 211. 433. 477. Neque ep. 729 a Tymne abiudicare debemus. Namque cum nullum ex eius epigrammatis eadem littera incipiat, causam erroris video nullam. Librario autem cod. Matritensis nomen Callimachi ex antecedente epigrammate in memoria fuisse videtur.

2.

Aristonis est ep. 457, Theaeteti 444. 499. 727, Aristodici Rhodii 189. 473.

Dionysio tribuuntur epp. 78 (Cyziceno). 462. 533 (Andrio). 716 (Rhodio). Atque epp. 78. 462. 716 in cor. Mel. Rhodii vel Cyziceni sophistae sunt; ep. enim V 81, quod incribitur Dionysii sophistae, in parte coronae eiusdem Meleagri inest. Epigrammatis autem 533 cognomen Andrii cohaerere videtur cum corrupto lemmate epigrammatis 534, in quo Alexandri, poëtae Meleagrici, nomen haud dubie omissum est (cf. p. 37).

Itaque verisimillimum est, omnia haec epigrammata esse unius Dionysii Meleagrici. Ep. 51 a Planude Dionysio ascribitur, sed non est, cur hoc ab Addaeo Macedone abiudicemus, quod, ut Weigandius l. l. p. 545 recte iudicat, cum eius origine optime congruit.

Hegemonis est ep. 436.

Heracleti ep. 465 in Anthol. Planudea Heraclidi tribuitur. Qua de causa Jacobsius quoque Heracletum confudisse videtur cum Heraclide Sinopense, cuius ep. 392 e corona Philippi desumptum est. Heracletum autem aut aequalem fuisse Antipatri Sidonii aut ante eum vixisse inde patet, quod hic epigrammate 464 illum imitatus est (cf. p. 12 s. Antip. Sid.).

Phalaeci (sic recte scribitur ex Athen. X p. 440 D) ep. 650, inscriptum: »*φλάκκου ἢ φαλαιξ*«, inest in parte cor. Mel. Eidem propter eandem causam addo ep. 542.

---

Addaeum Mitylenaeum, cui ascribitur ep. 305, Weigandius l. l. p. 345 coronae Mel. tribuit. Quod num iure fecerit, si epigrammata, quae Addaeo tribuuntur, respexeris, intelleges. Etenim excepto ep. 305 omnia in partibus coronae Philippicae atque etiam epp. VI 228 Addaei Macedonis. 258. IX 300. 303. 504 in ordine elementari inesse reperies. Atque haec omnia sine ulla dubitatione uni Macedoni tribuenda sunt, cum codex ei tribuat ep. VI 228 argumentaque epp. VII 51. 238. 240. 694 cum eius origine bene congruant. Restat igitur unum ep. VII 305, inscriptum: *Ἀδδαίου Μιτυληναίου.* Quod si satis probabiliter coronae Meleagri tribui posset, recte fecisset Weigandius, sed, num ex corona Meleagri aut Philippi aut quovis alio loco desumptum sit, certa vestigia desunt. Quare probabile est, ep. 305 esse eiusdem Addaei Macedonis, cognomina autem Alcaei Mitylenaei et Addaei Macedonis a librario confusa esse. Sed omnis dubitatio tollitur ex comparatione ep. 635 Antiphili Byzantii (v. p. 13). Etenim, cum constet, ex hoc expressum esse ep. 305, hoc »*ἄνθος ἀρτίφυτον*« esse Addaei Macedonis, luce clarius est.

Carphyllidae est bonum ep. 260, Glauci Nicopolitae 285. Philetae Samii est ep. 481. Hunc diversum esse a Coo patet e lemmate ep. VI 210, quod in elementari ordine eiusdem cor. Mel. eidem Philetae Samio tribuitur.

3.

His de meo addo:

Onestem Byzantium, cui tribuo epp. 66. 274. Hoc enim inscriptum est: *Ὀνέστου Βυζαντίου*, utrumque autem inest in ordine elementari coronae Meleagricae. Namque procul absum, ut assentiar Weigandio, qui l. l. p. 555 eum poetis Diogeniani adnumerandum esse vult. Maximi enim momenti esse ep. 66 facile concedes, quod in cor. Mel. fuisse ex ordine elementari epp. 63—68 patet (v. p. 35), et ex ep. V 20 nihil elucet, cum in hac parte Anthologiae epigrammata ex Meleagri et Philippi coronis desumpta cum Diogeniano commixta sint (cf. e. gr. V 16. 46. 63. 64). Atque hunc poëtam Byzantium unum ex recentioribus esse coronae Meleagricae, cum ep. 66 ex ep. 65 (v. p. 10 s. Leonida Tar.) Antipatri Sidonii expressum sit, manifestum est. — Onestes Corinthius poëtis cor. Phil. adnumerandus est.

Archiae Antiocheno, quem Cicero oratione illa defendit, ex omnibus epigrammatis, quae Archiae nomen habent, nullum probabiliter tribui potest. Etenim, cum in nonnullis lemmatis Archiae cognomina addita sint, Antiocheni nusquam mentio fit. Sed ep. VII 278, quod in elem. ordine coronae Phil. inest, Archiae Byzantii, ep. IX 91, positum in elem. ordine eiusdem coronae, Archiae iunioris, eiusdem libri ep. 339 in initialium litterarum ordine cor. Mel. Archiae Mitylenaei inscriptum est. Itaque epigrammata, quae in partibus coronae Meleagricae leguntur, Archiae Mitylenaeo, quem aequalem fuisse Antipatri et Meleagri imitationibus epp. 68. 147 comprobatur (cf. p. 12), quae in partibus insunt cor. Philippicae, Byzantio iuniori ascribenda sunt. Mitylenaeo igitur tribuo epp. 68 (cf. p. 35). 147. 191. 213. 214. 696, Byzantio epp. 140 (cf. p. 49 s. Acerato).

278. Ep. 140 inscriptum quidem est: Ἀρχίου Μακεδόνος, sed hoc haud dubie mutatione lemmatum epp. 139. 140 (cf. adnot. Duebn.) factum est. — Quod Benndorfius l. c. p. 50 omnia epigrammata uni Archiae Antiocheno tribuit, valde miror, praesertim cum Jacobsius cat. poët. p. 859 longe aliter de hac re iudicasset.

Nicomachi est ep. 299, quod in corona Mel. fuisse ordo elem. epp. 298—303 docet.

Ptolemaei est ep. 314.

---

Anonyma Possowius et Weigandius (v. Weig. l. l. p. 178) afferunt epp. 416 (v. p. 14 s. anonymis). 431. (449 p. 34 Leonidae Tarentino tribui) 474. 482. 483. 494.—5.7.10.12.28. (257 p. 31 Simonidi vindicavi). 298. 714. (715 haud dubie Leonidae est). 717. 723. 734. 737. De epp. 543. 544. 546 Weigandius dubitat, sed epp. 543. 544 e Meleagri corona decerpta esse negari non potest, de ep. 546 res prorsus incerta est.

His addo epp. 61—64*). 170 (v. p. 37 s. Posidippo). 228. 254 (v. p. 28). 298. 315 (v. p. 40 s. Zenodoto). 319. 321—325. Etenim epp. 322. 325 sine ulla dubitatione his temporibus tribuo, quorum hoc prius exstitisse, quam ep. 326, necesse est, illud ex Aristotelis Peplo a Diodoro desumptum esse Schneidewinus probat (v. adnot. Duebn.). Accedit, quod epp. 322—324 ordo elementaris exstet et epigrammata e corona Meleagri desumpta in propinquitate sunt. Itaque nihil nos impedit, quominus haec epigrammata his temporibus ascribamus. 352 (v. infra s. Meleagro). 431 (v. p. 29). 615—619. Quae Diogenes Laërtius omnia antiquis temporibus tribuit, et, si respexeris, ab ep. 615 Cephalam ad rationem illam conscribendi, quae in epp. 1—224. 225—363. 406—554. 615—706. 707—748 spectatur, rediisse, primo cum inspexisse coronam Meleagri atque inde decerpsisse haec epigrammata verisimile esse concedes. Sed, etiamsi in corona

---

*) Cf. p. 3 sqq. de compositione cap. VII.

Meleagri ea fuisse negas, et Diogenis Laërtii testimonium et epigrammata ipsa, ea ad haec tempora referenda esse, probant.

Meleagri Gadareni sunt epp. 13 (v. p. 36 s. Leonida Tar.) 79. 182. 195. 196. 207. 417—419. 421. 428. 461. 468. 470 (v. p. 40 s. Antip. Sid.). 476. 535. Ep. 31 p. 38 Dioscoridi tribui. Ep. 352, inscriptum: *Ἀδέσποτον, οἱ δὲ Μελεάγρου*, inter *ἀδέσποτα* coronae Mel. ponendum est, cum res discerni non possit. Etenim Heckeri sententia l. c. p. 103, qui Dioscoridi hoc epigramma ascribit, nullam vim habet neque pluris est auctoritas Fried. Graefe, qui in »Meleagri Gadar. epp.« Lips. 1811 hoc epigramma recepit, causam non indicans, neque ex imitatione ep. 351 Dioscoridis quidquam certi concludi potest.

Philodemi Gadareni, quo nemo propius abest a Meleagri aetate (v. Jac. cat. poët. p. 936) est ep. 222.

Diodoro Zonae Sardiano, quem Weigandius l. l. p. 544 a Diodoro Tarsense grammatico recte separavit, tribuuntur epp. 365. 404.

Tullii Laureae sunt epp. 17. 294.

Antipatro Thessalonicensi codex tribuit epp. 18. 39. 168. 185. 216. 236. 286 289. 530. 531. 666. Ep. 692, inscriptum: *Ἀντιπάτρου, οἱ δὲ Φιλίππου Θεσσαλονικέως*, eidem Antipatro ascribendum est, quem Pergami aliquamdiu versatum esse ep. 15 docet. Neque neglegendum est, Antipatrum aequalem fuisse Glyconis et hoc epigramma omnino melius esse, quam quod Philippus facere potuerit. Metrum autem non obstare e. gr. ex ep. VI 256 colligi potest, quod haud dubie Antipatri Thessalonicensis est. Epp. 409. 413. 493 non Thessalonicensis, sed Sidonii esse e compositione cap. VII manifestum est. Neque mirum est, quod talis error in his cognominibus exstitit (v. lemma ep. IX 93 Jac. not. crit. p. 472). Contra ep. 625, quod codex tribuit Sidonio, Thessalonicensi ascripsi p. 40.

Ex eis epigrammatis, quae Antipatri tantum nomen habent, Thessalonicensi (cf. p. 40 sq. s. Antip. Sid.) haud dubie tribuenda sunt epp. 15 (quod recte vidit Bendorfius l. c. p. 49).

136. 287. 288. 367. 369. 390. 398. 402. 629. 637. 639. 640. 705. 743.

Marci Argentarii, rhetoris graeci, qui Augusti aetate Romae floruit (cf. Jac. cat. poët. p. 460 et Benndorf. l. c. p. 59), sunt epp. 364. 374. 395. 403. Ep. 384 inter irrisoria ponendum est.

Diodoro Tarsensi grammatico (de Diodoro Zona Sardiano v. supra) tribuo epp. 38. 40. 74. 235, quod, inscriptum: *Διοδώρου Ταρσέως*, haud dubie eiusdem auctoris est, qui ep. 74 in eundem Themistoclem fecit (cf. de imitt. p. 13). 370. 624. 627. 632. 700. 701.

Diotimo Milesio hunc fere locum et ep. 173 tribui p. 37 s. Diotimo Atheniense.

De Erycio Jacobsius cat. poët. p. 891 sq. fusius disputavit. Sed, cum ad compositionem Anthologiae animum non adverteret, nihil profecit. Neque vero Weigandii ratiocinatio l. l. p. 547, qui item duos Erycios discernit, probanda est. Ep. VII 230 enim inter epigrammata poëtarum Meleagricorum »*ἐρυκίου κυζκίκι,ν̆*«, ep. VII 397 in ordine elem. cor. Phil. »*ἐρυκίου θετταλ8/*« inscriptum est. Ex omnibus autem epigrammatis, quae nudum Erycii nomen habent, ne unum quidem coronae Meleagri tribui potest, cum epp. VII 36. IX 824 (propter argumentum bucolicum) probabiliter, epp. VI 96. 234. 255. VII 174. 368. 377. IX 233. 237. 558 certo coronae Philippi tribuantur. Quare cogitari potest, Cyziceno unum ep. VII 230, Thessalo cetera omnia, quae in partibus coronae Philippi inveniantur, ascribenda esse. Sed inter epp. cor. Phil. est ep. VII 368 in mulierem Atticam Cyzici sepultam, quod procul dubio Erycii Cyziceni esse Jacobsius cat. poët. p. 892 suo iure contendit. Neque mirum est, ep. VII 230 Erycii Cyziceni e corona Philippi desumptum cum ep. 231 propter argumenti similitudinem coniunctum esse (cf. p. 14 extr.). Itaque factum est, ut Weigandius et Thessalum et Cyzicenum coronae Phil. vindicet. Sed si respexerimus, epp. VII 364—405 omnia desumpta esse e corona Philippi Thessalonicensis, ep. 394 esse eiusdem Thessalonicensis,

ep. 398 esse Antipatri Thessalonicensis, facillime fieri potuisse, ut ep. 397 per errorum *»ἐρυκίου ϑεσσαλ⁸/«* inscriberetur, intellegemus. Quare omnia epigrammata, quae Erycii nomen habent, uni Erycio Cyziceno, qui Augusti aetate floruisse videtur, tribuo.

Antonii Thalli Milesii epigrammata omnia ad unum exstant in ord. elem. cor. Phil. Sepulcralia sunt epp. 188. 373.

Alphaeo Mitylenaeo tribuo ep. 237. Etenim eadem vis dicendi inest in hoc epigrammate, quam in epp. IX 97. 526 reperies, neque Philippus Thessalonicensis tale epigramma facere poterat. Suspicor autem, eundem librarium, qui in margine adiunxerit *»ἕως ὧδε τὰ Θεμιστοκλέους ἐπιγράμματα«* verbis: *»καὶ Φιλίππου Θεσσαλονικέως«* dicere voluisse, hoc quoque epigramma decerptum esse e corona Philippi. De imitat. v. p. 13.

Tullii Gemini, quem a. u. 772 consulem fuisse O. Jahnius in Mus. Rhen. tom. IX p. 626 docet, est ep. 73.

Crinagorae sunt epp. 371. 376. 380. 401. 628. 633. 636. 638. 643. 645. 741. Ep. 744 delendum est in Jac. ind. poët., quod Diogenis Laërtii (cf. adnot. Dnebn.) est.

Apollonidae sunt epp. 180. 233. 378. 389. 631. 642. 693. 702. Ep. 742 e sepulcralibus removendum est.

Antiphili Byzantii sunt epp. 141. 175. 176. 375. 399. 622. 630. 634. 635 (v. de imitat. p. 13). Hoc, in Duebneri ind. poët. inter Antiphili carmina omissum, a Planude Maecio tribuitur. Sed cum idem ingenium insit et acumen in hoc carmine, quod in antecedente spectatur, cumque hoc recens ingenium proprium sit Antiphili, utrumque ei ascribere non dubito. Epp. 379. 641 sunt demonstrativa.

Bianori Bithyno grammatico ascribuntur epp. 49. 387. 388. 396. 644. Ep. 671, inscriptum: *Ἄδηλον, οἱ δε Βιάνορος*, his adiungo (cf. K. ad. ep. 371), quod ingenium, quod in hoc disticho conspicitur, simile sit ei, quod inest in ep. 644 vv. 5. 6.

Julii Dioclis Carystii (v. Weig. l. c. p. 147) est ep. 393.

Marcus Pompeius junior (v. Jac. cat. poët. p. 941) propter elem. ordinem epp. IX 27—29, id quod fugit Passowii et Weigandii diligentiam, poëtis cor. Phil. adnumerari debet. Sepulcrale est ep. 219, quod ex eadem corona desumptum videtur. Cephalas enim epp. 217—223 in meretrices conscripsit, primo corona Meleagrica, deinde Philippica usus, ita ut epigrammata in Laïdem componeret.

Lollii Bassi sunt epp. 243. 372. 386. 391.

Addaei Macedonis, qui Senecae aetate floruisse videtur (v. Weig. l. c. p. 546), sunt epp. 51. 238. 240. 694. Quibus ep. 305 p. 42 addidi.

Antistio Sosiano, qui Neronis aetate vixit, ascribitur ep. 366.

Pinyto Bithynensi grammatico, Epaphroditi liberto, qui Neronis temporibus floruit, tribuo ep. 16. Quod cum in elementari ordine coronae Phil. epp. 15—18 insit, id quod Passowium et Weigandium fugit, iudicium Schneideri in peric. crit. p. 129, Pinytum esse Bithynensem illum grammaticum, maximopere fulcitur.

Eiusdem Neronis temporibus Romae degit Leonidas Alexandrinus, frigidus ille *ἰσοψήφων* fabricator, cui codex tribuit epp. 547—550. Ex eis, quae nudum Leonidae nomen habent, addenda sunt epp. 668. 675.

Inter hunc Leonidam et Philippum Thessalonicensem epigrammata incertorum poëtarum et anonyma, quae ante coronam Philippi compositam exstitisse e Philippi prooemio et diligenti disquisitione patet, eodem ordine, quo antea (v. p. 41 sqq.) usus sum, interpono.

1.

Parmenionis Macedonis sunt epp. 183. 184. 239. Eidem Planudes ascribit ep. 240 Addaei, id quod facillime fieri potuit, quia in Anthologia Cephalana Parmenionis item distichon in eundum Alexandrinum antecedit.

2.

Etrusci Messenii est ep. 381, quod »ἄνθος ἀρτίφυτον« esse certum est, cum Etruscus imitetur Antiphili ep. 635, de quo v. p. 13 s. Antiphilo.

Aemiliani Nicaeensis est ep. 623. Myrini ep. 703 inter epp. demonstrativa ponendum est. Serapionis Alexandrini est ep. 400, Heraclidis Sinopensis 281. 392. De ep. 465. v. p. 42 s. Heracleto, cui id tribui.

---

**Archimedis** (sic recte pro Duebneri »Archimeli« scribendum est, cum causa non sit, cur Archimedis nomem mutetur) est ep. 50, **Statyllii Flacci** 290. Ep. 294 haud dubie est Tullii Laureae. De epp. 542. 650 v. p. 42 s. Phalaeco. Isidori Aegeatae sunt epp. 156. 280. 293. 532.

3.

His de meo addo:

Xenocritum Rhodium, cuius est ep. 291 (cf. p. 4), Aceratum grammaticum, cui tribuitur ep. 138. Cephalas enim ita epp. 136—152 in viros fortes bello Troiano spectatos composuit, ut epp. 136—140 in Troianos, 141—150 in Achivos, 151 et 152 in Hectorem et Aiacem, Troianum et Achivum, conscriberet. Primo autem eum coronam Meleagricam inspexisse comparatione e. gr. epp. 216—241 probatur. Sed in ea epigrammata in Troianos reperisse non videtur. Namque ep. 136 procul dubio est Antipatri Thessalonicensis (cf. p. 41 s. Antip. Sid.) et ep. 137, ex illo expressum (cf. p. 12 s. Diodoro Tarsense, cuius fortasse est) haud dubie ex eadem corona decerptum est. Cum autem Cephalam epigrammata in Achivos colligentem eandem coronam Philippicam primo inspexisse ep. 141 Antiphili Byzantii doceat, antecedentia epp. 138—140 indidem decerpta esse planum videtur.

Thyïlli, qui, ut Jacobsius cat. poët. p. 950 recte iudicat, a Satyro, qui in eadem corona fuisse videtur, secernendus est

(cf. initium libri X), est ep. 223, quod inest in ordine elementari cor. Phil.

Archiae Byzantio juniori p. 43 tribui epp. 140. 278.

---

Anonyma coronae Phil. a Passowio et Weigandio (v. Weig. l. l. p. 551) tribuuntur epp. 626. 691. 699. — His adjungenda sunt epp. 137. 139 (v. supra s. Acerato). 155. 221, quod Augusti temporibus non minus, quam Pauli Silentarii aetate, cui Jacobsius tribuit, oriri potuit. 279. 695. 704, quae in partibus coronae Philippicae sunt.

Philippo Thessalonicensi, quem nihil fere ingenii poëtici habuisse e prooemii verbis:

*Ἀντίπατρος πρέψει στεφάνῳ στάχυς· ὡς δὲ κόρυμβος*
*Κριναγόρας· λάμψει δ᾽ ὡς βότρυς Ἀντίφιλος* etc.

optime elucet, ascribenda sunt epp. 186. 234. 362. 382. 383. 385. 394. 554. Ep. 405 in Hipponactem, inscriptum: ***Μιμνέρμου, οἱ δὲ Φιλίππου***, Philippi esse vel ex ordine elem. et metro apparet. Sed, ut omnis dubitatio tollatur, respiciendum est, ep. 405 ex ep. 408 Leonidae expressum hoc malo poëta dignissimum esse: euntem enim praeter tumulum verbis grandinantem hortatur, ne vespam suscitet!

Contra ep. 237 p. 46 Alphaeo Mitylenaeo, ep. 692 p. 45 Antipatro Thessalonicensi tribui. Ep. 187 Philippi in eodem codice post ep. 344 positum Simonidi, in Anthol. Plan. Leonidae ascribitur. Itaque, cum in hac rerum condicione res inextricabilis sit, inter *ἀδέσποτα* ponendum est.

---

# Theses.

1. Theophrasti charact. ed. Foss. p. 8,5 scribendum est: *ταῦτα τῆς νυκτὸς κατειπεῖν κατὰ ἀγρυπνίαν ἀναμιμνησκόμενος·*

2. Ibidem p. 8,8 sqq. scriptura cod. Palatini, viros doctos offendens, bonam sententiam praebet.

3. Ibidem p. 26,6 sqq. scribo: *καὶ βιάζειν ἐν ταῖς ὁδοῖς τὰς διαίτας κρίνειν ἐν τοῖς ἐπιτρέψασι· καὶ χειροτονούμενος ἐξόμνυσθαι τὰς ἀρχάς, οὐ φάσκων σχολάζειν·*

4. Ibidem p. 30,23 sq. scriptura cod. Palatini retinenda est.

5. Taciti dial. de orat. cap. VII medio scribendum est: si non in alto oritur

6. Aeschyli Pers. epodus vv. 672—680 bonam sententiam praebet, vv. 675. 676 ita mutatis:

*τί τάδε, δυνάστα, δυνάστα*
*περὶ τᾷ σᾷ δίδυμα διάγοιτ᾽ ἂν ἁμάρτια*

7. Sophoclis Oedip. Col. v. 1595 scribendus est:

*ἀφ᾽ οὗ μέσος στὰς τοῦ τε Κορυδαλλοῦ πέτρου*

8. Anthol. Pal. cap. VII. ep. 255 Aeschyli pro singulari carmine habendum esse, id quod Stanleius haud dubie coniunctione *καί* maxime adductus negavit (cf. ed. Duebneri), e comparatione ep. 251 Simonidis elucet.

9. Aristophanis Equ. v. 488 scribendus est:

*ἀλλ᾽ εἶμι· πρῶτον δ᾽, ἃς ἔχω, τὰς κοιλίας*

10. Artifex eo plus valet divino ingenio, quo clarius e contemplatione naturae atque mundi historiae, quid ipse, mundus, Deus sit quaque ratione homines beati fieri possint, divinans mortalibus significat.

# Adolf Menk de vita sua.

Natus sum in pago Stein, sito in summa silva occidentali, a. d. IV Nonas April. a. h. s. LIX patre Ludovico Bertha matre. Primordiis litterarum ab avo meo imbutus gymnasium Dillenburgense adii, cui etiamnunc praeest Augustus Spiess. Ab ineunte autem aetate in animo mihi erat, historiam humanitatis ac maxime linguam graecam, latinam, nostram earumque monumenta cognoscere. Quod ut assequerer, a verno a. LXXVIII tempore deinceps disciplinam Marburgensem, Tubingensem, Berolinensem, subii ibique audivi prodocentes Caesar, Schmidt, Lucae, Niese, Varrentrapp, Rein, Bergmann, Cohen, Justi, Glaser, Dietzel, — Schwabe, Herzog, Rohde, v. Keller, Sigwart, — Kirchhoff, Vahlen, Müllenhoff, Scherer, E. Curtius, Zeller, Harms, Kiepert, v. Treitschke, Dambach. Seminarii historici per sex menses, per septies sex menses seminarii germanistici particeps fui, per sex semestria exercitationibus seminarii philologici interfui, cuius sodalibus ordinariis per ter sex menses adnumeratus sum.